6-2C-D18

1

BERNARDINI REALINI CARPENSIS IN NVPTIAS PELEI ET THETIDIS CATVLLIANAS COMMENTARIVS.

EIVSDEM ALIQVOT IN VARIA SCRIPTORVM LOCA ANNOTATIONES.

VIRTVTE AFFECTVS SVPERANTVR.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Cum Priuilegio.

Bononiæ apud Anſelmum Giaccarellum M D. LI.

CHRISTOPHORO MADRVTIO AMPLISSI-MO CARDINALI TRI-DENTINO

BERNARDINVS REALINVS S. P. D.

EN tibi Cardinalis Ampliſs. Realini tui munuſculum, nõ illud quidem quod amplitu-dine tua dignum exiſtimem nec dare uellem, ſed quod obſeruantiæ erga te meæ pi-gnus habere poſsis certiſsimum, & quo nec tu maius à me nunc expectas, nec ego dare poſ-ſum. Nam cum multa ſint, quibus ſe dedat animus noſter, & alij alia ſectentur, ego ſem-per humanas, quas uocant, literas ita colui, ut quoties ex ſeueriori Ariſtotelis lectione, otij aliquid ſuffurari licuit, ad eas toties me retule-rim, ſic ut multos legens ſcriptores, animum tamen ad Catullianos ſales ſæpius appulerim, uti quos omnibus, & doctiſsimos ſcirem, & lepidiſsimos iudicari. quorum tandem allectus lenocinio, ita feci, ut remiſſo aliquantiſper

Philoſophiæ ſtudio, Commentarium ſcripſe-
rim in elegantes, & ſatis difficiles Pelei & The
tidis Nuptias, quem in publicum dare iuſſus
ab egregiè cordato homine Antonio Bendi-
nellio Lucenſi, præceptore meo, cui quicquid
in literis profeci, ſi modo profeci, acceptum
refero: nolui prius exire, quam clariſſimi nomi
nis tui ſplendore clarior factus, ita facilius, eo
duce, hominum gratiam inijſſet. quamquam te
ſolum mihi conſtituo & iudicem, & patronum
qui unus inſtar ſis futurus omnium, cuiq; dum
modo hic placeat, ſublimi feriam (quod ille ait)
ſydera uertice. Itaq; læto animo, & ſerena fron
te qualeſcunq; ſint, clientuli tui primitias, ita
celſitudini tuæ debitas, ut aurum Soli, argentũ
Lunæ, Veneri Oricalchum; Marti ferrum, &
Muſarum Apollini quicunq; in earum uirida
rijs fructus innaſcuntur, accipias; imitatus Re
gem regum, Artoxerſen dico, cui obequitan-
ti, cum quidam ex uicino riuulo hauſtam ma-
nibus aquam porrexiſſet, eam libens bibit, pro
penſum animi potius conſiderans affectũ, quã
uilem aut donantis, aut doni conditionem.
Quod ſi tibi non diſplicuiſſe cognouero, alacrio
ri ſtudio alios labores meos conabor ad finem
perducere. Vale.

BERNARDINI REALINI CARPENSIS IN NVPTIAS PELEI, ET THETIDIS CATVLLIANAS COMMENTARIVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PELIACO quondam prognatæ uertice pinus Dicuntur) *Antequàm uerborum interprætationem aggrediamur, pauca quædam ad faciliorem cognitionem breuiter, ſtrictimq́; ſunt attingenda. Sciendum hoc in opuſculo, quod parum cautè nonnulli Argonautica inſcripſerunt, uelle Catullum Pelei, & Thetidis nuptias celebrare, ad quas antequam accedat, tempus prudenter, quo Thetidis amore captus eſt Peleus, deſcribens, illud fuiſſe dicit, quo Argonautæ ad uellus aureū Colchos ſunt profecti. cuius profectionis cauſas non abſurdū fuerit ex hiſtoria repetere. Pelias Neptuni ex Tyro filius, autore Hom. lib. XI. Odys. & Theſſaliæ rex, cum timeret oraculum editū, ne. s. ab Iaſone Aeſonis fratris filio, regno expelleretur, nouum ſibi parans ad euitationem conſilium, ſtatuit morti nepotem offerre, iuſsitq́; ſub honoris ſpecie, cuius auidum Iaſonem cognoſcebat, ut uellus aureum, quod Marti ſacraſſe Phryxum ipſi ſanguine iun-*

ctum dicebat in Colcho, auferre conaretur, ſperans nepotem illinc non reuerſurum, unde maximum uitæ diſcrimen (ſeruabatur enim uellus igniuomis tauris, inſopitoq; dracone) impendere uidebat. At nepos patrui conſilii neſcius, & laudis accenſus deſiderio, cum multis Græcorum fortisſimis, in quibus fuerat & Peleus iter aggreſſus, & honorem, & uellus reportauit. authores ſunt Orpheus, Apollonius, & Val. Flaccus: quorum nunc extant opera; nam & Varronem Attacinum Argonautica ſcripſiſſe, proditum eſt: de quo Ouid. in. I. Amorum. eleg. XV.

Varronem, primamq; ratem quæ neſciet ætas,
Aureaq; Aeſonio terga petita duci.

et III. de Arte.

Dictaq; Varroni fuluis inſignia uillis
Vellera germanæ Phryxe querenda tuæ.

quicquid dicat Franciſcus Robortellius, ubi de Elegia meminit. & Propertius ait in II

Hæc quoq; perfecto ludebat Iaſone Varro.

ex quinto Biblioth. Diod. aliam affert profectionis cauſam Parthenius, quam ibi, ſi placet, lege.

PELIACO VERTICE) *Pelion montẽ Theſſaliæ dicunt eſſe Plin: in. IIII. cap. VIII. Pomp. Mela lib. II. cap. I. Solinus cap. XIII. cum Vibio Sequeſtri in libro de montibus. & aliis.*

PINVS PROGNATAE) in Pelio natas ſcribit etiam Ouid. II. *Amor. ita canens.*

Prima malas docuit, mirantibus æquoris undis,

Peliaco pinus uertice cæſa uias. nam ibi plurimas fuiſſe pinus, cecinit idem in. V. *Faſt.*

Pelion Aemoniæ mons eſt, obuerſus in Auſtros,

Summa uirent pinu, cætera quærcus habet. unde umbroſus ab eodē dicitur in. VII. *Meth. ex quo intel ligitur, non inſcitè à* Catul. *uertice, poſitum. Animad uertendum eſt etiam, pinus, plurali numero dictas, non quòd plures tunc nauigauerint naues; ſed quoniam Argo ipſa ex multis fuerat fabricata. unde infra.*

Pinea coniungens inflexæ texta carinæ. quanquàm à Catul. *diſſentiens* Orph. *in Arg. dixit.*

Καὶ οἱ φηγινὴν πρῶτον τετήνατο νῆα. *id eſt*

Fagineam primum fabricarunt nauem. niſi fortaſſe Orph. *uelis à parte totum denominaſſe; habebat enim nauis, ut eſt apud Apol. in.* I. *Orph. Val. Flaccum, & Claudianum, lignum concauum, quod per mediam carinam Pallas ex Dodonide fago aptauerat, uoce hu mana Argonautis futura uaticinans. inde* ἰυλαλος *di- cta eſt. unde Seneca in Medea.*

Ipſaq; uocem perdidit Argo.

VNDAS LIQVIDAS NEP- TVNI) ſic Naſo lib. I. *Meth.*

Montibus & liquidas pinus deſcenderat undas.
quas Catul. Neptuni uocat, ex tripartita illa diuiſione, quam ſciunt uel pueri. ſic etiam Deus *(inquit* Cicero *in.* II. *de natura Deorum) pertinens per naturam cuiusq; rei, per terras, Ceres, per maria, Neptunus, alij per alia poterunt intelligi.*

PHASIDIS AD FLVCTVS) non ſine ratione ad Phaſidem primum Argonautas nauim apulliſſe, deinde ad fines Aeetæos *dicit; nam ſic legimus in* Orph.

Αυτὰρ ἐπὶ ποταμοῖου διὰ στόμα πρὶν ῥέοντος
Ἱκομεσθα αὐτίκα ἄρα στέφανον, καὶ τεῖχος ἐρυμνὸν
Αἰήτου. *id eſt*

Sed poſtquàm fluminis per hoſtium late fluentis
Venimus ſtatim ad cincta, & munita mœnia
Aeetæ. ibidem Phaſidis eſt pulcherrima deſcriptio, & apud Q. Curtium in. V. meminitq; Hippocrates *in lib. de Aere, Aquis, & Locis.*

FINES AEETAEOS) ſic quidem legendum eſt, ex nomine regis Aeetes.

Quòd autem Beroaldus in eam Propertij *elegiam, cuius eſt initium. Hoc pro continuo. id Catulli carmen allegans, legere uideatur Atheios; librarij errorem crediderim.*

LECTI IVVENES) quinquaginta eos fuiſſe, licet apud Orph. *Apol. & Flac. uidere quo-*

rum nomina ibi leges. Lycophronis autem interpres Iaſonem cum ſociis. LIX. Argo inſediſſe ſcribit. & Diod. in. V. LIIII. addēs hos ſibi Herculē præfeciſſe, ueluti omnium iudicio, & fortitudine & uirtute præſtantiorem. contra uero Orph. illum tradit conceſſiſſe Iaſoni oblatum ſibi imperium, quòd eum Iunoni charum eſſe ſciebat. Et benè, lecti (ita enim legendum eſt, nō læti) quoniam oēs erant, uel Deorum, uel Heroum fi.ij. unde apud Orph. ſic ait ad Aeetem Iaſon.

οἱ μὲν γὰρ μακάρων, οἱ δ᾽ ἡρώων γένος ἐσμέν   *ideſt*

Aliqui deorum, aliqui heroum genus ſumus.

Theocritus ydil. XIII. de Iaſone loquens.

οἱ δ᾽ αὐτῷ ἀριστῆες συνέποντο
πασῶν ἐκ πολίων προλελεγμένοι.   *ideſt*

Ipſum optimates conſecuti ſunt
Omnibus ex urbibus electi. Ennius etiam Delecti Argiui, dixit. & Virg. Ecgloga. V.

Delectos heroas

ROBORA) propter iuuenilem ætatem, in qua uires maxime uigere ſolent. unde iuuenem ualētem dicit apud Ouid. in XV. Meth. Pythagoras; & ualētē iuuentā idem Catul. in Manlij nuptiis. Medea in Heroid. apud Naſonem.

Hei mihi cur unquam iuuenilibus acta lacertis
Phryxeam petiit Pelias arbor ouem.

Pap. de Argonautis in V. Theb.

nec robora proſunt Semideum heroum.

AVRATAM PELLEM) *ita Flac. in* V. *auratam pecudem dicit;* & *Claud. de Vict. Stil. auratũ uellus. Ennius etiã* (ut citat Cicero. I. *Tuſcul.*) *inauratam pellem uocat. id eſt aureum arietis uellus; quod fago impoſitum à ſerpente cuſtodiebatur. Orph.*

Κατέφαινε καὶ ἄλσεα, τοῖς ἐπὶ κῶας
χρύσειον ἠώρητο χαλαζαίῃ ἐπὶ φηγῷ. *id eſt*

Apparent nemora, in quibus uellus
Aureum nitebat ſuſpenſum in fago. et

Ἀμφ' ἱερῆς φηγοῖο δέρας χρύσειον ἕλωμεν. *id eſt*

A ſacra fago pellem auream auferamus. rurſus
Hic igitur Phryxea omni de parte refulgens
Aurea pendet ouis. ſerpens hic uellera circum
Peruigilat dictu monſtrum mortalibus horrens.

ex quibus patet (*ut hoc obiter notemus*) *cur ab Ouid. ſit dictum lib.* VII. *Meth.*

Peruigilem supereſt herbis ſopire draconem,
Qui criſta, linguisq; tribus præſignis, & *uncis*
Dentibus horrendus cuſtos erat arboris aureæ.

VADA SALSA) *aquas maris ſalſas. ſic Maro lib.* V. *Sulcãt uada ſalſa carinæ.* & *Salſos rident reuomentem pectore fluctus. lege Ariſt. Probl. ſect.* XXIII.

CAERVLA VERTENTES) *melior lectio eſt Verrentes. ita* & *Lucanus lib.* III.

dixit, imitatus Virg. in. IIII. *Aeneid. Cærula uerrunt. & Lucret. in .* I.

Quæ mare, quæ terras, quæ nubila deniq; cœli
Verrunt. quod carmen æmulatus eſt Maro in. I. *Aeneid. qui item in.* III. *inquit.*

Certatim ſocij feriunt mare, & æquora uerrunt.

PALMIS) remis. alibi idem. ſiue palmulis
Opus foret uolare, ſiue linteo.

ABIEGNIS) ex abiete confectis. eſt enim Apta fretis abies, ut ex. II. *Georg. ait Claud. in.* II. *de raptu Proſerp. apud Enniū (ut à Cicerone citatur Tuſcul.* I. *de Fato. de Inuent.* I. *& alibi) inquit Medea*

Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus
Cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes. *Quo in loco animaduerſione digna eſt uox illa, trabes, antiquo more in caſu nominandi poſita (etiam ſi cæſæ abiegnæ, legat Beroald. in.* III. *Propert. lib.) ut docuit Crinitus lib. de Honeſta diſciplina* XV. *cap.* VI. *ex Var.* III. *de lingua latina, qui allegata Enn. citat carmina; ubi tamen mendoſe, pro abiegna, eſt abigena.*

DIVA QVIBVS) Palladis περίφρασις *Virg. Ecgl.* II. *Pallas quas condidit arces*
Ipſa colat. ubi lege Seruium. Hom. item hym. IX. *&* XXVI. *& Diony. Halicarnas. lib.* VI ἐρυσίπτολιν *Pallada uocant, id eſt urbium patronam. cuius rei cau-*

ſam allegorice reddit Martianus in principio lib. de Geometria, ijs uerſibus.

Arcibus urbanis ueteres tibi templa dicarunt;
Quòd ratio amplificet, quódq; eſt elatior, urbes.

IPSA LEVI FECIT) *ſcribit Orph. Mineruam ad ſtruendam nauim, atq; opem Minyis ferendam à Iunone accerſitam, & Apol. in. I.*

Αὐτὴ γὰρ καὶ νῆα θοὴν κάμε, σὺν δέ οἱ Ἄργος
τεῦξεν Ἀρεστορίδης κείνης ὑπὸ θημοσύνῃσιν. *id eſt*

Ipſa nauem celerem fecit, ſimulq; Argus
Fabricauit Areſtorides illius hortatu.

Claud. de bello Getico. licet omnia uates
In maius celebrata ferant, ipſamq; ſecandis
Argois trabibus iactent ſudaſſe Mineruam.
& apud Flac. in. II.
Nec me, inquit Agniades, tantum Tritonia curſus
Erudijt; ſæpe ipſa manu moderata carinam eſt.

CVRRVM) μεταφορικῶς. *quemadmodum enim currus equis ducti uelocitate præſtant (unde Flac. in V. currum uocat alipedem) ita & ipſa nauis iuuenilibus acta lacertis, celeritate ſimili mare ſulcabat. Manlius in VII. nobilis Argo*
In cœlum ſubducta, mari quia prima cucurrit.
hinc Neptunū Hippij cognomen duxiſſe ſcribit Cæl. Rhod. ex Phornuto lib. XVIII. in fine, quòd mari

iter

iter celerrime peragatur, ueluti equorum functionem ſubeant naues.

PINEA TEXTA) hinc Virg. in Cul. magnum Argiuæ nauis decus, pinum uocat.

ILLA) nauis. Argo dicta; de qua, ut alios taceam, ſic ſcriptum reliquit Apol. Scholiaſtes in. I.
Ὁ μὲν Ἀπολλώνιος καλεῖ τὴν ἀργὼ ἀπὸ ἄργου τοῦ κατασκευασάντος. Φερεκύδης δὲ ἀπὸ ἄργου τοῦ φρίξου υἱοῦ. ταύτην δὲ φασὶ πρώτην ναῦν γενέσθαι μακράν. ἄλλοι δὲ λέγουσι Δαναὸν διωκόμενον ὑπὸ αἰγύπτου πρῶτον κατασκευάσαι, ὅθεν καὶ Δαναὶς ἐκλήθη. *id eſt Argo uocat Apollonius ab Argo ſtructore. Pherecides autem ab Argo Phrixi filio. hanc dicunt primam fuiſſe nauem longã. alij Danaũ ferunt ab Aegypto fratre fugientem primum fabricaſſe, ex quo & Danais appellata eſt. uide etiam Lactant. in. II. Theb. Diodorus ante Argo fuiſſe paruarum nauicularum uſum prodidit. ipſius hæc ſunt uerba in. V.*
Καὶ πρῶτον μὲν περὶ τὸ πήλιον ναυπηγήσασθαι τὸ σκάφος πολὺ μεγέθει, καὶ τῇ λοιπῇ κατασκευῇ τὴν τότε συνήθειαν ὑπερβάλλον, διὰ τὸ σχεδίαις πλεῖν τοὺς τότε ἀνθρώπους, καὶ μικροῖς παντελῶς ἀκατίοις. *id eſt, interprete Bayſio in lib. de re nauali. Primum quidem ædificatam circa Peliũ nauem, & magnitudine, & reliquo apparatu conſuetum eo tempore modum excedentem, quòd illius ætatis homines ratibus ferè, & paruis acatijs uehi mos eſſet. ex quibus liquet, cur Catul. prima, dixerit,*

AMPHITRITEM) mare Ouid. I.

Meth. *nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
hæc fuit Neptuni uxor. unde Columel. *in Horto.*
Nunc pater æquoreus, nunc & regnator aquarum,
Ille ſuam Tethim, hic pellicit Amphitritem.
Claud. in. I. *de raptu Proſerp.*
Neptunum gremio complectitur Amphitrite.
RVDEM) pro eo, quod Ouid. *in.* VI. *Meth.*
Per mare non motum prima petiere carina.
Propert. in. III. *rudem pinũ uocat. & Lucanus.* III.
Inde laceſſitum primo mare, cum rudis Argo
Miſcuit ignotas temerato littore gentes.
VENTOSVM AEQVOR) in quo uẽti dominãtur. ſic Horat. lib. Carm. III. *Ode.* IIII.
qui mare temperat Ventoſum.
Tib. lib. I. *eleg.* VIIII.
Lucra petituras parentia per freta uentis.
quòd autem nonnulli, uentorum, legant, qua ratione ducantur, non uideo.
TOTA) al. Torta. quæ lectio placet. non diſsimili modo Flac. in. I. *dixit.*
Tortas inſurgit in undas. *Virg. in.* V.
Adductis ſpumant freta uerſa lacertis.
quòd ſi Tota, legas, rei fiet amplificatiò.
FERI VVLTVS) poetice deos marinos

intelligit, de quibus Maro in V.

Tunc uariæ comitum facies, immania monſtra,
Et ſenior Glauci chorus, Inousq́; Palæmon,
Tritonesq́; citi, Phorciq́; exercitus omnis.

Hom. lib. Iliad. XII. *Deos marinos ſcribit ex anteriori parte humana eſſe figura, in piſcem uero aluum deſinere. unde à Flac. in* I. *dictum eſt.*

Diuosq́; pater ſortite biformes. & *Virg. in Ciri, Phorcum uocat, biforme mõſtrũ. idẽ in* X. *de Tritone.*

Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Orph. ἐν τῷ θυμιάματι νηρηίδων.

τριτώνων ἐπ' ὄχοισιν ἀγαλλόμεναι περὶ νῶτα,
θηροτύποις μορφαῖς, ὧν βόσκει σώματ' ὁ πόντος. *id eſt*

Tritonum uehiculis gaudentes circa dorſum
Ferinis formis, quarum paſcit corpora pontus.

& *ad Neptunum, dicit.*

κύμασιν τερπόμενος, θηρσίν θ' ἅμα. *id eſt*

Vndis gaudens, feriſq́; ſimul. & *alibi mare uocat.* θηροτρόφον. *i. feras nutriẽs. Theſeus etiam apud Senecã in Hip. uulgus æquoreum uocat marinas feras. Claud. de nuptijs Honorij, imitatus Orph.*

Nec non & uariis uectæ Nereides ibant,
Audito Tritone, feris.

ADMIRANTES) laus Argonautarũ per phantaſiam quandam ex deorum marinorum admiratione uenientem. ſic Apol. in. I.

ἐπ' ἀκροτατοισι δὲ νύμφαι
Πηλιάδες κορυφῆσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι
Ἔργον ἀθηναίης Ἰτονίδος, ἠδὲ καὶ ἀυτους
Ἥρωας χείρεσσιν ἐπικραδάοντας ἐρετμά. *id eſt*

ex ſummis nymphæ
Peliades uerticibus admirabantur inſpicientes
Opus Mineruæ Itonidis, et ipſos
Heroas manibus uibrantes remos.

Virg. in VIII. *mirantur & undæ,*
Miratur nemus inſuetum fulgentia longe
Scuta uirum fluuio, pictasq; innare carinas.

Val. *Flaccus lib.* IIII.
Tum freta, quæ longis fuerant imperuia ſæclis,
Ad ſubitam ſtupuere ratem. Naſo. Amor. II.
Mirantibus æquoris undis.

MONSTRVM) inſolitam nauem.
ILLAQVE ATQVE ALIA) *in aliquibus legi codicibus, Illaq; haud alia. de qua iudicent alij. ego uero priori accedo, quippe qua uſus eſt alibi Catul. ſic nempe ad Manlium ſcribens.*
Ne noſtrum ſcabra tangat rubigine nomen;
Hæc atq; illa dies, atq; alia, atq; alia. & rurſus
Quàm ueniens una, atq; altera rurſus hyems.

NYMPHAS MARINAS) Nereides. nympharum enim in numero cenſentur, ut ſcribit Budeus in Comment. linguæ grecæ, Nereides

Amadryades , Oreades , & Limoniades. alioqui nymphæ propriæ ſunt fluminum. unde Callimachus.

νύμφαι θεσσαλίδες ποταμοῦ γένος.

quod imitatus Maro in VII. *ſic ait.*

Nymphæ laurentes,nymphæ genus amnibus unde eſt.

NVTRICVM TENVS) *hãc lectionem agnoſcit Parthenius. eſt tamen in aliis codicibus, Iam crurum tenus. quarum nulla mihi placet;uti qui legendum credam (ut etiam in caſtigationibus quibuſdã ex Vaticana Bibliotheca olim excerptis , quarum mihi copiam fecit Bendinellius, comperi) Vmbilicum tenus. quam ſententiam inniiſſe Catul. facit, ut credam,quòd dixit; nudato corpore. accedente etiam pictorum teſtimonio, qui,ut notum eſt, eas ſolent huiuſmodi pingere. nec te moueat,propoſitionem, tenus, accuſatiuo iunctã eſſe; quando & eo modo locutus eſt Flac. in* I. *dicens,*

Et Tanain tenus immenſo deſcendit ab Euro

GVRGITE) ταπείνωσις. *propriè enim pro iis fluminum locis profundis ponitur , in quibus aqua uertitur; hic autem pro mari accipitur .*

TVM THETIDIS PELEVS INCENSVS FERTVR AMORE) *Verum eſt quod ille ait, ſuam quemq; trahere uoluptatem, & diuerſos diuerſa ſequi ; etenim quot capita, tot ſententiæ , & uelle ſuum cuiq; eſt , quæ res ne longe*

exempla petantur, hoc in Catul. loco maximè comprobatur. ſiquidem Flac. I. Apol. ſecutus, & Orph. natum facit Achillem, antequàm ad Colchicam expeditionem proficiſceretur cum Iaſone Peleus. Catul. autem uocabulis non abutenti (ut putauit interpræs) alios placuit authores imitari, quos tamen me fateor ignorare. id quod illi mirum non uidebitur, qui uel mediocriter ſit uerſatus in literis. tanta ſæpius inuenitur ſcriptorum diſsidentia.

INCENSVS AMORE) captus. metaphora ab igne ſumpta. nam quemadmodum ignis omnia, quæcunq; complexus eſt, conficit, ac deſtruit; ita amor mentis noſtræ robur, uiresq́; omnes conſumit, atq; uelut in cinerem redactas diſsipat. hinc ille apud Maronem Ecgloga III.

At mihi ſeſe offert ultro meus ignis Amyntas.

& in I. *Aeneid. occultum inſpires ignem. item* IIII. *Et cæco carpitur igni. &, Eſt mollis flamma medullas. præterquàmquòd alludunt ſæpe poetæ ad arma Cupidinis. nam (teſte Ouid. in Phyl.)*

Altera tela arcus, altera telà faces. quaſi Cupidinea face incenſi, ardeant amatores. Cyrus apud Xenoph. lib. V. *oſtendit amorem igne eſſe potentiorem, eò quód ignis tantum urit tangentes, amor uero etiam qui procul aſpectant. quin Apul. in* V. *Meth.*

Amorem deum totius ignis uocat. ſuper hac re plura iam diximus in Elegias, quæ ſub Cor. Galli nomine circunferuntur.

TVM THETIS HVMANOS NON DESPEXIT HYMENAEOS) *in Naſonis* XI. *Meth. & Chil.* II. *hiſt.* XXXXVI. *Io. Tzetzæ, Thetidem legimus ſæpe Pelei aſpernatam connubia, nunc uolucrem, modo arborem, tygridẽ modo uim ipſius aufugiſſe; poſtremo arte Protei, uel Promethei (ut refert in Dial. Deorum Lucianus) captam, ſui feciſſe copiam Peleo. huc igitur alludens Catul. Thetidem dicit, Pelei connubia, ut ante conſueuerat, non affugiſſe. illud præterea nota bis eodem in carmine, pedem dactylum, qui eſt in quinta ſede, primam ſyllabam producere poſitione, t, & h, quã uolunt aliqui inter conſonantes locum poſſidere, ut, Terga fatigamus haſta. niſi quòd nouisſima eſt, iccirco eam produci mauis dicere.*

PATER IPSE) *Nereum intelligo. patrem Thetidis, non Iouem, ne bis repetitus ſenſus Poetæ candorem imminuat. nam & infra dicet.*

cui Iuppiter ipſe,
Ipſe ſuos diuum genitor conceſſit amores.

Catu. autem hinc iuſtas fuiſſe nuptias oſtendit, cum

ſine patris conſenſu contractæ non fuerint. etenim lib. Inſt. Ciuil. I. Tit. de nup. legitur, in poteſtate conſtitutos abſq; patris conſenſu nuptias non poſſe cõtrahere. & .ff. de ritu nup. l. II. dicitur, nuptias contineri non poſſe, niſi conſentiant omnes, id eſt qui coeunt, quorumq; in poteſtate ſunt. ex qbus apud Flac. in VIIII. *uolens Medeæ mater iniuſtas eſſe Iaſonis nuptias ſignificare, ſic ait.*

Albano fuit hæc promiſſa tyranno,
Non tibi: nil tecum miſeri pepigere parentes.

nec aliud uoluit Diony. Halicar. lib. IIII. *ijs uerbis.* Μετὰ τοῦτο τὸ ἔργον οὐδὲν ἔτι διαμελλήσας ὁ ταρκύνιος, ἀπάγεται γυναῖκα τὴν τυλλίαν οὔτε τοῦ πατρὸς αὐτῆς βεβαιοῦντος τὸν γαμόν, οὔτε τῆς μητρός συνευδοκούσης, ἀλλ᾽ αὐτὴν παρ᾽ ἑαυτῆς λαβών. *i. poſt tale facinus nihil ultra cunctatus Tarquinius uxorem ducit Tulliam, nec patre nuptias concedente, nec matre conſentiente, ſed à ſe ipſam capiens. tale quid eſt apud Apul. in* VI.

O *NIMIS* OPT*ATO*) *hinc effictum eſt illud Maronis in* VI.

Magnanimi heroes nati melioribus annis.

DEVM GENVS) *Iaſon apud Orph.*

οἱ μὲν γὰρ μακάρων, οἱδ᾽ ἡρώων γένος ἐσμέν.

Pap. in III. *Thebaidos, ſemideos reges appellat.*

O *BONA MATER*) *Thetidẽ accipio. quam bonam uocat, reſpiciens futuram prolem.*

Tædis

TAEDIS FELICIBVS) *συνεκδοχή. intellectio authori ad Heren. lib.* IIII. *tædas enim pro matrimonio poſuit. ſicut infra.*

Nec Thetidis tædas uoluit celebrare iugales.

ex quinque tædis, quibus in nuptijs uti conſueuerant antiqui; authore Plutarch. Probl. I. *quas etiam ex pinea arbore faciebant. Virg. in Ciri.*

Pronuba nec caſtos accendet pinus odores.

& Ouid. in II. *Faſt.*

Dum tamen hæc fient, uiduæ ceſſate puellæ,

Expectet puros pinea tæda dies. ex quibus, & alijs, quæ breuitatis cauſa, omitto, ueterem ego tutor lectionem apud Catul. in Manlij nuptiis, nempe,

Pineam quate tædam. ita tamen, ut ſpineam quoq; tædam, legi poſſe, non negem. ut primus ex Plinio caſtigauit Parth.

CONCESSIT AMORES) *conſule Lucianum in dial. Iouis, & Promethei. & Statij Achil. amores autem dixit, pro Thetidem amicam. ita enim amicas ſuas appellare ſolent amatores. Catul.*

Varrus meus ad ſuos amores. &

Volo te, ac tuos amores. quemadmodum & lucem, uitam, animam, corculum, & poeta noſter doctiſſimus, lepidiſſimusq; in II. *Endecaſyl. deſideriũ nitens. quicquid ſibi uelint aliqui. Seruius in illud Maronis*

ex I. Aeneid. ſecurus amorum Germanæ. amores, inquit, plurali numero ad uoluptatem pertinent.

TE NE THETIS)
TE NE SVAM) ἀναφορά. *ui magnam uim addit interrogatio admirationis plena, præſertim ſi pronunciatione adiuuetur.*

TE NE THETIS) *Tethis, Tethyos cum t, exili in prima ſyllaba. & th, aſpirato in ſecunda, ſequente, y græco, primam producit. eſt enim ι, τηθυς. Heſiod. in Theog.*

Τηθυς δ' ὠκεανῷ ποταμοὺς τίκε δινήεντας. *Mart. in I.*

Et quem ſupremæ Tethyos unda ferit. fuit hæc Cœli, & Veſtæ filia, Oceani, & ſoror, & coniux, & Nympharum mater. Thetis uero, & Thetidis cum priore aſpirata, & exili altera, fuit filia Nerei, & Doridis, mater Achillis ex Peleo, ut canit Heſiod. ut autem ſentiunt Septimius, & alij, Chironis, qui Nereus in Pelei, & filiæ nuptiis dictus eſt. de hac in primo uerſu intelligit Catul. de prima uero, in ſecūdo.

OCEANVSQVE PATER) *ſic Martial. in X.*

Et uiridem Tethyn, Oceanumq; patrem.

Mileſii autem Thaletis tangit opinionem, qui ex humore omnia uoluit procreari, primum principium aquam ponens, authore Apol. interpræte in I. (ut interim

Simpl. Sueſs. aliosq́ Ariſt. expoſitores taceam) & Vitruuio lib. II. cap. II. & in præfat. lib. VIII. unde eſt illud etiam Virg. in IIII. Georg. ex Hom.

Oceanumq́; patrem rerum. *de quo lege Diod. in* I. & IIII. *hinc in hymnis* Orph. *Nereum uocat* ἀρχὴν ἁπάντων. *i. omnium principium. aliqui codices habent.*

Oceanusq; mari. *quomodo Flac. in* I.

Terrasq́; ſalo complecteris omnes.

THESSALIA) denominatio. ab eo enim quod continet, id quod continetur, intelligimus. id eſt Theſſali.

DONA FERVNT: PRAE SE DECLARANT GAVDIA VVLTV) eſt in manuſcripto.

Dona ferunt præ ſe: declarant gaudia uultus. quam lectionem ſi accipimus, τὸ *uultus, nominãdi caſus erit, pluralis numeri; quomodo Seneca in Agamemnone.*

Vultusq; præ ſe ſcelera truculenti ferunt.

ex quo interpunctionem illam, poſt τὸ *præ ſe, in Catulliano uerſu nõ laudo, quæ tamẽ poſt, ferũt, ponatur. Et ſanè ſciendum eſt, animi affectus uultu demonſtrari, ut non ſemel à Cicerone dictum eſt. ad quem ſcribens etiã Q. frater in de petitione cos. animi ianuam, frontem uocat. & in principio Alexandri Plutarch.*

dixit & Ouid. in I. *Amorum.*

Ex tacito uultu ſcire futura licet. & Catul. infra ex redimitis angue capillis, Eumenidum iras auſpicatur. apud Ariſtoph. quoq; in nubibus, inquit ille.

Ἐπὶ του προσώπετ᾽ ἐστιν ἀττικον βλεπος. *id eſt*

In perſona eſt Aiticus aſpectus. illud omittendum non duxi, quod ſcribit Auicenna lib. I. *de Animal. & Plin. in* XI. *cap.* XXXVII. *inter omnia membra, oculos maxime mores animi ſignificare. cuius ſententiæ eſt etiã* Cicero *in* I. *de Legibus.*

DESERITVR SCYROS) συνεκδοχη· *totum pro maiori parte. & eſt amplificatio per ratiocinationem: de qua lege Fabium lib.* VIII. *cap.* IIII.

NON FALX ATTENVAT FRONDATORVM ARBORIS VMBRAM) Virg. *in* I. *Georg.*

Et ruris opaci Falce premes umbram.

Ouid. in XIIII. *Meth. Falce data frondator erat. Seruius in illud ex Tytiro:*

Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras. *tria ſcribit frondatorum eſſe genera. quæ ibi leges.*

SQVALLIDA DESERTIS) *nõ uidetur, dixerunt quidã, uериſimile, quod tantum temporis in nuptiarũ celebratione conſumeretur, ut iuuen-*

corum colla molleſcerent, & ſquallidis rubigo aratris inferretur. ex quo Catullum hoc in loco dormitaſſe cenſuerunt. Delıros ſanè homines, & impudentes, qui cum aliquid facere ſibi ſtultè perſuadeant, inſignes tum conſpiciuntur ignorantia. nec uident puerilis eſſe iactãtiæ (ut ad Auguſtinũ ſcribẽs dicit Hierony.) illuſtres uiros accuſando, nomini ſuo famam quærere. parum attendentes illud poetis concedi, ut rem de qua agunt, augere poſſint, nec poetis tantum, ſed & oratoribus, & philoſophis, quibus conceſſum eſt (inquit Cicero in Top.) ut muta etiam loquantur, mortui ab inferis excitentur, & aliquid quod fieri nullo modo poſſit, augendi rei gratia dicãt. ſuper qua re plura ſcribit Fab. lib. VIII. cap. IIII. Apul. de Byrrennæ cœna. ibi eſt, inquit, quodcunq; fieri non poteſt. quem morem ſi ſecutus eſt hic Catul. neſcio qua de cauſa alia, huiuſmodi Zoilis carpendus ueniat, niſi ex nimio gloriolæ inanis deſiderio, & peculiari impudentia.

NON HVMILIS CVRVIS PVRGATVR VINEA RASTRIS) *cõtinẽs pro cõtẽto. i. locũ uitibus conſitum. quod ut teneam, facit illud, raſtris curuis purgatur. uitis autem epitheton eſſe humilem, nemo neſcit. alioqui, quod ex Columel. refert. Parth. falſum eſt.*

IPSIVS AT SEDES, QVA-CVNQVE OPVLENTA RE-CESSIT.

REGIA FVLGENTI SPLENDENT AVRO, ATQVE ARGENTO) ſenſus eſt. ſedes Pelei, quæ ea in parte domus fuerant, quæ magis arcana eſt, ſplendent aureo, & argenteo ornatu: per uerbũ autem, receßit, interior domus pars ſignificatur, in qua ſolent reges ſedem ſuam tenere. Seneca in Thyeſte.

In multa diues ſpacia diſcedit domus,

Arcana in imo regia receſſu patet. & hæc ſemper præſtat apparatu. Virg. I. Aeneid.

At domus interior regali ſplendida luxu.

ad maiorem autem nuptiarum laudem addit poeta.

Tota domus gaudet regali ſplendida gaza. imitatus Hom. Odys. VII. ubi Alcinoi regia deſcribitur.

QVACVNQVE) in ea parte, qua. ſimilis locutio Virgilianæ illi in Mœri.

qua ſe ſubducere colles Incipiunt.

GAVDET) μεταφορικῶς. ſicut infra.

Domus iucundo riſit odore. & eſt μετονυμία.

PVLVINAR VERO DIVAE

GENIALE LOCATVR) *lectus ponitur, in quo Thetis eſset concubitura. quem proprio nomine genialem uocat. nam geniales propriè lecti ſunt qui puellis sternuntur nubentibus, dicti à generandis liberis authore Ser. in* VI. *Aeneid. ibi Lucet genia libus altis. aliâs genialis hoſpitalem ſignificat. Santra de antiquitate uerborum lib.* III. *Scis enim geniales homines ab antiquis appellatos, qui ad inuitandum, & largius apparandum cibum ſunt promptiores. ex quo indulgere genio, Perſio est, obſequi animo, & relaxare curas. Iuuenal. ſaty.* IIII. *genialis agatur Iſte dies.* Virg. *in* I. *Georg.*

Inuitat genialis hyems, curasq; reſoluit. ubi Ser. quoties uoluptati opam damus, indulgere genio dicimur

AEDIBVS IN MEDIIS) *tale hemiſtichium est in* II. *Aneid.*

TINCTA TEGIT ROSEO CONCHILIS PVRPVRA FVCO) *adeas Polit. Miſcel. & Bayſium in lib. de re Vest. cap.* III.

HAEC VESTIS) *stragula, quæ ſuper lectū coniugalem fuerat collocata. nam apud Feſtum ſic inuenio.* Vestis *generaliter dicitur, stragula, forenſis, muliebris.* Catul. *infra.*

Purpurea ue tuum conſternens ueſte cubile.

NANQVE FLVENTISONO) digreſſio. de qua Horatius, & Rhetores præcepta tradũt, ſed ita, ut doceãt, digreſſiones ipſas non admodum lungas eſſe debere. ut pluribus oſtendit Sebaſtianus Corradus *uir magni nominis, & mei amantiſſimus, in ſuis ſcriptis, in quibus illa ſunt uerba.* Catullus *uero quamuis doctus quaſi* cognomento *dicatur, in ea re tamen reprehendi ſolet, quod ad Theſei, & Ariadnes fabulam digrediatur ita, ut propoſiti oblitus eſſe uideatur, & mehercle in ea digreſſione ita multus eſt, ut uix defendi poſſit; niſi dicat aliquis illum poetas Lyricos eſſe imitatum, qui quum neq; grauia, neq; magna ſed amores, cœnas, & alia id genus, profiteantur, longius euagari poſſunt: ut Pindarus non ſæpe modo ſed ſemper ferè facit, & præſertim in Pythijs, ubi quũ Arceſilaum pro Demophilo rogare conſtituiſſet, à re tamen ad Argonautas longiſſime diſcedit.*

CELERI CLASSE) & infra leuem appellat. eam triginta remorũ fuiſſe ſcribit Plutarch. in Theſeo. addens, eandem usq; ad Demetrij Phalarei tempora conſeruaſſe Athenienſes. ſuper quo loco leges non indigna ſcitu apud Alexandrum ab Alex. in principio lib. IIII. *& Bayſium in lib. de re nauali. poſſumus etiam celerè ideo dictam interpretari, quaſi*

uento

uento utentem ſecundo. nã apud Ouid. dicit Ariad.

Inde ego (nam uentis quoq; ſum crudelibus uſa)

Vidi præcipiti carbaſa tenſa noto.

NEC DVM ETIAM SESEQVE SVI TVM CREDIDIT ESSE) hinc mentis apparet conſternatio, quæ Ariadnem faciebat, ut crederet, ſe alteram à priori eſſe, ut po‑te quæ ſolam ſe uideret, cum prius tamen Theſeo comi tata illuc appulliſset.

SOMNO FALLACI) qui ipſam feſel‑liſſet, ita ut Theſei fugam non ante ſenſerit, quã illinc procul aufugiſset. apud Naſonem in Heroid. ipſa.

Me ſomnus meus male prodidit. &

Crudeles ſomni qui me tenuiſtis inertem.

IN SOLA HARENA) ibidem, eadẽ

Specto ſi quid niſi littora cernam,

Quod ſpectent oculi nil niſi littus habent.

SAXEA VT EFFIGIES BAC‑CANTIS PROSPICIT EVAE. comparatio. ſaxeam autem uocat effigiem, ut ſignifi‑cet, magisq; exprimat Ariadnes dolorem, quæ uiſo Theſeu fugiente, quaſi exanimis, lapidiq; haud disſimi lis, ueluti quæ ſenſibus penè eſset deſtituta, manſit. nam & in allegato Ouid. loco inquit eadem.

Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi,
Quàmq; lapis ſedes, tam lapis ipſa fui. &
Aut uidi, aut certè cum me uidiſſe putarem,
Frigidior glacie, ſemianimisq; fui. Baccātis autē Euæ, iccirco, quòd ſciſsis eſſet capillis. apud Ouid. ait.
Aſpice demiſſos lugentis more capillos. ubi (ut & hoc per me fiat clarius) per lugentē, præficā intelligit. tales enim ſolebant antiqui, ut mortuos lugerent, in funere precio conducere. de quibus, ut cæteros prætermittam, ſic ait Horat. in Arte poetica.
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.
CVRARVM FLVCTVAT VNDIS elegans à mari translatio, qua res ante oculos ponitur, & augetur, docente Fabio lib. VIII. cap. VI. ſic Val. Flaccus in V.
Præcipue Aeſonidem uarios incerta per æſtus
Mens rapit undantem curis, ac multa nouantem.
Stat. in XII. ſtetit ambiguo Thebanus in æſtu
Curarum. ſimillimus uerò mari eſt humanus appetitus. nam mare ſine uentis tranquillum eſt, ſin ab illis exagitetur, maximas excitat tempeſtates; ſic appetitus remotis perturbatiōnibus pacatus manet, ſin contra, huc, atq; illuc rapitur. uide Platonis Phædrū.

FLAVO VERTICE) Hom. citante Dionyſio lib. VII. Ariadnem uocat καλλιπλόκαμον. i. pulchricomam. laudatur autē, in puellis maxime, flaua coma, quæ decentior uidetur. nec matronis negatur, quicquid dicat Seruius in IIII. Aeneid. quoniam de Lucretia in II. Faſt. legimus.

Forma placet, niueusq́ color, flauiq́ capilli.
& Catul. de coma Berenices.

Deuotæ flaui uerticis exuuiæ. ita Virg. in Didonis gratiam flauum crinem dixiſſe crediderim, cum eam non ſemel pulcherrimam appellet. carmen autem, quod affert, Iuuenalis, eſt in VI. Saty. & in meo ueteri manuſcripto ita legitur.

Et nigrum flauo crinem abſcondente galero.
& certe melius. tali enim galero utebatur Meſſalina, ut magis placeret adulteris, quando pulchrum capillitium mulieris formam adauget, ut ſcribit Apul. in VI. STROPHIO) Nonius, ubi agit de genere Veſtimentorum. ſtrophium, inquit, faſcia breuis, quæ uirginalem tumorem cohibet papillarum. ſic enim lego, non errorem, ut citat Beroald. culpa fortaſſe librarij, in IIII. Propert. & hic Parth. de eodem Feſt. Strophus eſt, quod græce στρόφιον uocatur. ex quibus (ut hoc ἐν παρόδῳ notē) in lib. I. Martiani de nuptijs Philol. pro trophio, legendum eſt, ſtrophio. quod ſic

Flac. in III. *meminit.*) *tenui uagus innatat unda Crinis ad obſcuræ decurrens cingula mammæ.* *Propert. lib.* IIII. *eleg. de Hercule.*

Mollis & hirſutum cæpit mihi faſcia pectus. *Apul. in* II. *Meth.*] *Et ruſſea faſciola prænitente altiuſcule ſub ipſas papillas ſuccintula*, *quam idẽ in* X. *teniam uocat. nec aliud intellexit Hierony. in Iouinianum* cap. XXX. *ijs uerbis.* *Qui exiturus in publicum faſcia uxoris pectus* colligabat. *unde inter ornamenta, & mundum muliebrem á Polluce connumeratur in* VII. *ſtrophium, pro corona poſuit Virg. in de Copa Syriſſa, cum dixit.*

Et grauidum roſeo necte caput ſtrophio.

Facta de ſtrophio mẽtione, in memoriã uenit Septimij illud in Apologet. cap. XIIII. *Vtrum minimos, an deos ueſtros in iocis, & ſtrophis rideatis. ubi ſciendũ eſt,* στρόφους *græcis dici uerba, ac ſermones contortos, & doloſos. in qua ſignificatione hic accipimus. pro minimos etiam, mimos ſubſtituentes.*

LACTANTES PAPILLAS) *epitheton papillarum. id eſt quæ lactare poſſent, ſed nondũ exercerẽt actum. ſicuti apud Maronẽ in* IIII. *mariti dicuntur, non qui ſint, ſed eſſe cupiant. & matrona dicitur, teſte Gel. lib.* XVIII. *cap.* VI. *á matris nomine non iam adepto, ſed cum ſpe, & omine*

mox adipiſcendo. ita Catul. ſupra Thetidem uocat matrem à ſpe. niſi malis ibi de Argonautarum matribus accipere, ut eis poeta gratuletur, quòd tales partus ediderint. quo modo non ſemel dixit Ouid.

Felices qui te genuere parentes.

ALLIDEBANT) ita quidem legendum eſt. etiãſi & Parrhaſius in II. Claud. & hic Parth. alludebant, legere uideantur. eſt autem allidere, leuiter impingere, uoce formata ab ad, & lædo.

TOTO EX TE PECTORE THESEV TOTO ANIMO, TOTA PENDEBAT PERDITA MENTE) ſenſus eſt. nihil curans Ariadne, neq; mitram, neq; fluitantem amictum, quæ tamen ſolent puellis haberi in delitijs, ſolum de Theſeo cogitat, illum amat, & animo proſequitur, abſensq; abſentem auditq;, uidetq;. apud Curtium lib. III. ait ad Alexandrum Philip. medicus. ſemper ſpiritus meus ex te pependit.

EXTERNAVIT) Marcel. externauit, & conſternauit. id eſt dementem fecit. Catul.

Ah miſera. aſſiduis quam luctibus externauit.

SPINOSAS CVRAS) quaſi aculeis pungentes. traslatitium epitheton, quod maxime rem ornat. Ariſt. III. Rhet. & Quintil. lib. VIII.

cap. de tropis. per curas autem ſpinoſas, intelligere poſſumus ſollicitudinem, & triſtitiam, quas Apul. in VI. *ancillas Veneris eſſe ſcribit, quibus illa Pſychem torquendam dedit.*

ILLA TEMPESTATE, FEROX QVO TEMPORE) *referendum eſt ad ſuperiora, ut ſit ordo. Illa tempeſtate Erycina ſpinoſas ſerens in pectore curas, externauit Ariadnē, quo tēpore. etc. & eſt Catul. peculiaris locutio, ut eodē in carmine duo ponat synonyma. ſic ad Ruffum ſcribēs*

Ruffe mihi fruſtra, ac nequicquam cognite amice.

& ad Leſbiam.

Si quicquam cupidoq́; optantiq́; obtigit unquam.

INIVSTI REGIS) *reſpiciēs ad id quod ſcribit Plutarch. in Theſeo, Minoem. s. apud Athenienſes perpetuò male audiuiſſe, & in Atticis theatris aſſiduis probris, contumeliiſq́; uexatum, eum uocat iniuſtum, propter crudelis tributi exactionem, quod illis impoſuerat. nam alibi iuſtitia inſigniri, nemo eſt, qui neſciat, uti qui & Iouis filius, & apud inferos, ſecūdum fabulas, ſit iudex animarum conſtitutus.*

Apud Maronem in III. *Georg. eo in carmine*

Iniuſto ſub faſce uiam dum carpit. iniuſtum pro magno accipit Seruius, & rectè; quamquam Pedianus in III. *Ciceronis in Ver. paruum interprætetur. quod*

erroris anſam dedit Iacobo Bononienſi, qui in ſuis in Ouid. annotationibus illud in II. *Meth.*

Iniuſtaq; buſta peregit; paruo facta ſumptu, expoſuit. quo in loco, Pius pro buſta, iuſta, reponendum cenſet in III. *Val. Flacci. ſeruante tamen antiquam lectionem Io: Franciſco Bellentano Carpenſi, auunculo meo (qui nuper immatura morte præuentus incredibile ſui Muſis, & bonis omnibus reliquit deſiderũ) in doctiſſimis ſuis Obſeruationibus in totã Naſonis Meth. quæ propediem, fauente Deo, imprimentur.*

CORTYNIA TECTA) Homerus Odys. III. *Gortynon ſcribit eſſe Cretæ urbem, & Strabo lib.* X. *Plinius uerò Gortynam oppidum Cretæ facit lib.* IIII. *cap.* XII. *at Steph. urbẽ, quæ & Gortys ab heroe denominata, dicitur. idem Pomponius in fine lib.* II. *cap.* IIII. *& meminit Flac. in* I. *& alij. ex quibus hic Gortynia per, G, ſcribendum eſt. ut etiam in Sileno Virg. ſtabula ad Gortynia. & in Ciri, Minos ipſe Gortynius heros appellatur.*

CRVDELI PESTE COACTAM cum inualuiſſet opinio Androgeum Minois filium in Attica dolo ſublatum; pater illato bello multis malis Athenienſes affecit. & infenſum etiam numen regionem uexauit. ſterilitas enim agrorum, ſimul & peſtis uehemens inuaſerat. iubente autem Deo placari Mi-

noem, miſsis in Cretam caduceatoribus qui à Minoe pacem peterent, eo exorato fædus hac conditione factum eſt. ut nono quoq; anno, ſeptem pueros, totidẽq; uirgines in Cretã tributi nomine mitterentur. hoc itaq; recenſet hic Catul. de quo Plutarch. habeo autorem in Theſeo; & Diod. in V. licet aliquatenus diſſentiẽtẽ.

ANDROGEONEAE CAEDIS *locus admonet, ut Propertio lucem afferamus, qui Androgeona dicit ab Aeſculapio ad uitam reſtitutum, negãtibus, quoſcunq; uidere contigit, alijs. ipſius hæc ſunt carmina lib. II. eleg. I.*

Et deus extinctum Creſsis Epidauriush erbis.
Reſtituit patriis Androgeona focis.

ubi fratrẽ pro fratre, id eſt Androgeona pro Glauco poſitum credimus cum Parrhaſio in fine II. Claud. quem dolio mellis necatum, reſtituiſſe Aeſculapium, teſtatur elegantisſime Claud. ita ſcribens in de bello Getico.

Cretaq;, ſi uere narratur fabula, uidit
Minoum rupto puerum prodire ſepulchro,
Quem ſenior uates auium clangore repertum
Gramine reſtituit: miræ nam munere ſortis,
Dulcia mella necem, uitam dedit horridus anguis.

ſic Virg. Georg. III.

Talis Amyclei domitus Pollucis habenis.

ubi Ser. fratrem pro fratre poetica licentia poni docet. ſicut in

Buc.

Buc. Quas illi Phylomela dapes. pro Progne. & Reuocat à ſanguine Teucri. pro Dardano. & alibi pro Calliope Erato inuocauit. ſicut etiã Pap. in VI. Theb. Atlantã Menaliam pro Oenomai filia poſuit. Notabis præterea in allegato Claud. primo carmine alluſionem eſſe ad adagium, Cretenſes ſemper mendaces. & ideo dixit. ſi uere narratur fabula.

ELECTOS IVVENES) *Hellanici ſequitur opinionem, qui ſcriptum reliquit, non ſortito pueros dediſſe Athenienſes; ſed præſentem Minoem ipſos deligere ſolitum. meminit Plutarch. in Theſeo.*

IPSE SVVM THESEVS PRO CHARIS CORPVS ATHENIS PROICERE OPTAVIT) *non electus Theſeus ad Minotaurum ſe contulit, ſed ultro: ſibi perſuaſus, ut eſt apud Plutarch. in communis fortunæ ſocietatem eundum, ſperans etiam uictoriam conſecuturum. ex quo infra Aegeus.*

Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida uirtus Eripit inuito mihi te. & hoc eſt quod ait Catul. optauit pro charis corpus Athenis proijcere, id eſt morti obijcere. unde charas ſibi fuiſſe Athenas intelligendum eſt. nam qui pro nobis uitam ponit in diſcrimine, de ipſius amore non dubitamus. ſiquidem uita

nihil eſt charius, ut apud Curtium legimus in VI. SEDESQVE SVPERBAS) *magnificas, & tanto rege dignas, non autem crudeles, ut exponit Parthenius. neq; enim uerisimile eſt, eius ſedes uituperare, quem ſupra maximo cum præconio magnanimum appellauerit.*

SVAVES EXPIRANS CASTVS ODORES LECTVLVS) *contra fidem codicum, ueramq; poetæ ſententiam, agnoſcit interpræs, Coſtus. caſtus itaq; legẽdum eſt. aptum puellaris lecti epitheton, quem expirantem, id eſt extra ſuaues odores mittẽtem, iuxta regum luxum dixit. ſic de Scylla Niſi Virg. in Ciri.*

Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo.

& Hom. in III. *Iliad. lectum Helenæ deſcribit fulgentem ſtragula ueſte, optimisq; odoribus fragrantẽ.* IN MOLLI COMPLEXV MATRIS ALEBAT) *hinc uirginem apparet fuiſſe incorruptam, nullisq; antea amoris irretitam blanditijs, quippe quæ à matris latere non diſcederet. id quod præcipit Hieronymus in epiſt. ad Athletam. & efficiet quicunq; legerit librum de uita M. Aurelij, quem grauisſimum imperatorem uocat Tertul. in Apologet. cap. V. ſed & Phocyl. uirginem cuſto-*

diendam docet multiclauibus thalamis, nec conſpicien dam ante ædes, uſq; ad nuptias. quamquam (ut ad Dionyſium ſcribens dicit Hippocrates) ſemper opus habet mulier moderatore. ab eodem laudat Ouid. Perillam in III. *Triſt. Eleg.* VII. *dicens.*

Aut illam inuenies dulci cum matre ſedentem,

Aut inter libros, Pieridasq; ſuas. & *Claud. de Maria Honorij. Diuinæ fruitur ſermone parētis,*

Maternosq; bibit mores.

QVALES EVROTAE PERGIGNVNT FLVMINA MYRTOS

huiuſmodi comparatione utitur idem in Manlij, & Iuliæ nuptijs. Floridis uelut enitens

Myrtus agia ramulis. Seruius in Sileno, & I. *Aeneid. Eurotā ſcribit eſſe Laconiæ fluuium. quam myrtis præſtare, conijcio ex illo Virg. in Culice.*

Et uiolæ omne genus, hic eſt & Spartica myrtus.

Pergignunt autem flumina, dixit, iccirco, quod amāt littora myrti. ut eſt apud Virg. in IIII. *Georg. unde & Ouid. in* I. *Amorum. littorea myrtus dicta eſt. hinc Ser. in* II. *Georg. ibi.*

Solido Paphiæ de robore myrtus. Veneri ſacratā eſſe ſcribit, quòd hæc arbor gaudet littoribus, & Venus de mari dicitur procreata.

AVRAVE DISTINCTOS EDVCIT VERNA COLORES) *tunc .n. fulgēt florida uiridanti prata colore. Lucret. in* V.

It uer, & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus ueſtigia propter;
Flora quibus mater præſpargens ante uiai
Cuncta coloribus egregijs, & odoribus opplet.

SANCTE PVER) *Tibul. in* II.

Sancte ueni dapibus feſtis. cur autem puer Amor dicatur, uide Propert. in II. *eleg.* XII. *et Alexandrum Aphrod. lib.* I. *Probl. queſt.* LXXXV.

CVRIS HOMINVM GAVDIA MISCES) *Cupidinis circumlocutio. alibi de Venere dixit. non eſt dea neſcia noſtri,*

Quæ dulcem curis miſcet amaritiem. nam Amor melle conſtat, & felle. unde ab Orph. γλυκύπικρος *dicitur. etenim uoluptatem ſæpe ſequitur dolor; quin ſeſe inuicem ut comitarentur, dijs placuiſſe dicebat Socrates. ex quo Aeſopus ille fabulator* ἡδονῆς *ſcripſit* τὴν λύπην εἶναι ἀδελφήν. *i. fratrem uoluptatis eſſe dolorem. ſic enim* λύπην *interpretatur Plato in Cratylo. qui etiam in Timæo uoluptatem & dolorem ex eodem naſci uertice, credit. unde Lucret. in* IIII.

Medio de fonte leporum Surgit amari aliquid.

ad quod reſpiciens Antiſthenes, inſanirem, dixit, potiuſquam oblectarem.

QVAEQVE REGIS COLCHOS

cum ſcriptum ſit nullibi, quod ſciam, in Colchide coli Venerem, nec, ut falſo aſſerit Parth. apud Flaccum reperiatur, uide num hic & epig. XXXIII. legi debeat Golgos, tum ſuffragantibus antiquis codicibus, tum ex illo Theocriti idyl. XV. ad Venerem.

Δέσποιν' ἃ γολγόντε, καὶ ἰδάλιον ἐφίλασας. *id eſt*

Domina quæ Golgum, & Idalium ſeruans.

ubi interpres. γολγὸς, *inquit* πόλις κύπρου, ὠνομασμένη ἀπὸ γολγοῦ τινὸς ἀδώνιδος, καὶ ἀφροδίτης. ἰδάλιον δὲ πόλις καὶ αὐτὴ κύπρου. *id eſt Golgos Cipri eſt ciuitas, ſic à Golgo Adonidis, & Veneris filio denominata. Idalium autem ciuitas & ipſa Cypri. nec illud impediat, quod Colchos habent plurimi codices, quoniã cum* κ *&* γ *cognatione ſint coniuncta, ut eſt apud Lucianũ in pugna* σ, *&* τ, *unum potuit facile in alterum per inſcitiã librariorum commutari. uerum ſi Golgos legamus, populos intelligamus oportet, qui* γολγοι *dicũtur. unde Venerẽ quoq; Golgicam poetis appellari, ſcribit Hermol. in Plinij lib. V. cap. XXXI. & Giraldus Syntag. XIII. de Dijs Gentium. Sed quoniam utiles eſſe cupimus, re admonente, mendoſum Pompei locum caſtigemus. ſic enim legitur. Prodigia, quod prædicunt futura, per-*

mutatione G literæ, nanq; nunc, C, appellatur, ab antiquis, G, uocabatur. nos ita emendamus. Nam quæ nunc, G, appellatur, ab antiquis C, uocabatur. cuius rei teſtem habemus Plutarch. in problemate. Quid eſt quod locum ubi carnes uendunt, macellum uocant. nouiſſime, inquit, G, Romani adhibuerunt, authore, & inuentore Carbilio.

SAEPE MAGIS FVLGORE EXPALLVIT AVRI) *inditium timoris placuit eruditis eſſe pallorem. ex quo timens Ariadne, ne mortem conſequeretur à Minotauro Theſeus, animi paſſionem uultu ſignificabat. hinc fortaſſe dixit Papinius in* XII. *Theb.*

Et abſumpto pallentem Gnoſida filo. fulgore autem auri, iccirco, quòd in auro ſolet eſſe pallor. unde Catul. alibi. Hoſpes inaurata pallidior ſtatua.

& Diogenem legimus in III. *Apoph. cum quidam eum Phyſicus interrogaſſet, quamnam ob cauſam aurum palleret, quia, reſpondiſſe, plurimos ſibi habet inſidiatores. qua de re, ſi amplius ſcire cupis, lege Ariſtoph. Plutũ. quã in latinum ſermonẽ trimetris uerſibus luculentiſſime tranſtulit undecunq; doctiſſimus olim præceptor meus Franciſcus* Paſſius *Carpenſis.*

MORTEM OPPETERET) *ſic*

quidem legendum, non appeteret. ſignificat autem forti, & conſtanti animo periculis ſe opponere. Tul. I. Tuſcul. Sed profecto mors tum æquisſimo animo oppetitur, cum ſuis ſe laudibus uita occidens conſolari poteſt. dicitur de ijs fere, qui ſtrenue pro patria, aut parentibus, uel amicis, aut propinquis, præſertim ætate florenti, mortem occumbunt.

PRAEMIA LAVDIS) uirtutis, a ſequenti quod præcedit. uirtutis enim præmium eſt honos, autore Cicerone in Bruto, & in X. epiſt. ad Plancum, & alibi. ita Virg. in I. Aeneid.

Sunt hic etiã ſua præmia laudi. Martial. epig. XV.
Præmia cum laudis ferret, adhuc poterat.
apud Senecam in Oedipo Iocaſta.
Laudis hoc prætium tibi
Sceptrum, & perẽptæ Sphingis hæc merces datur.

Curt. in VI. Egregiũ mehercle opus, & inter præmia gloriæ ueſtræ numerandũ poſteritati, famæq; tradetis.

NON INGRATA) liptote. ex eo. n. grata fuiſſe colligitur, ꝙ uictoriã reportauit Theſeus.

TAMEN FRVSTRA) uictoriam Theſeo exoptabat Ariadne, ut tandem ſecum in patriam nauigans, ipſo coniuge potiretur; quam rem ex uoto finem non aſſecutam, innuens poeta, fruſtra, dixit promiſiſſe munuſcula diuis, eo ꝙ Theſeo nõ ſit potita.

in eandē ſententiā dixiſſe uidetur Tibul. lib. I. *eleg.* V.

Omnia perſolui, fruit urnunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem uitam ſi ſalua fuiſſes,
Fingebam demens, ſed renuente deo.

quaſi dicat. cum deos pro ſalute tua precabar, ut poſtea tuo amore fruerer, ſanitati quidē reſtituta es, ſed alteri me relinquēs, adhæſiſti. atq; ita deos fruſtra precatus ſum. TACITO LABELLO) *idem eſt quod ait Perſius Saty.* II.

Illa ſibi introrſum, & ſub lingua murmurat.

Cicero in I. *de Diuinat. Vt enim deorum animi ſine oculis, ſine auribus, ſine lingua ſentiunt inter ſe quid quiſq; ſentiat, ex quo fit, ut homines etiam quum taciti optent quid, aut uoueant, non dubitent quin dij illud exaudiant.*

NAM VELVT IN SVMMO) *q; grata fuerint munuſcula diuis, hoc in loco affert rationem, oſtendens facilitatem qua Theſeus Minotaurum aggreſſus, eum interfecit, ſumpta à uento ſimilitudine. nam quemadmodum, inquit, uentus ſolet magno flatu uel altas arbores contorquere, adeò, ut radicibus extirpatis, facile humi procumbant: ita & Theſeus Minotauro præſtantior, ipſum haud difficulter proſtrauit, necquicquam iactantem cornua, uti quæ*

nihil aduerſus hoſtem ſibi prodeſſent. atq; hoc modo Nam, & Sic reſpondebunt, ſenſu genuino, quem non aſſecutus eſt Parthenius.

EXTVRBATA) *al. extirpata. quomodo* Curtius *in* VII. *extirpari arbores dixit.*

SVDANTI CORTICE) *quãquam ſic legit in Claud. Parrhaſius, & hanc habeant multi codices lectionem; magis tamen ego probo, ut legatur Nutanti uertice. tum ex uenerandæ uetuſtatis exemplari manuſcripto noſtri Leonis Grilinſoni. tum ex illo Ennii, citante Gellio lib.* XIII. *cap.* XIX.

Capitibusq; nutantes pinos, rectosq; cupreſſos.

& Claud. ubi agit de Phœnice.

Ardua Caucaſeo nutat de uertice pinus.

pro corniger am autem, coniferam ſubſtituo, eo quod Suidas eſt autor, ex coniferarum arborum genere pinus eſſe. al. comiferam legitur.

CONTORQVENS FLAMINE ROBVR) *pro robore, arboris truncum accipio, id eſt eam partem quæ à ramis ad inferiora tendit; ut dexteritatem quandam in uento denotet, ad arbores facilius extirpandas.*

CORNVA) *quia eum taurum appellat. Stat. autem in ultimo Theb. iuuencum. Septimus lib. aduerſus Praxeam* III. *Non, inquit, Rhinoceros deſtina-*

BIBLIOTECA

batur unicornis, nec Minotaurus bicornis.

INOBSERVABILIS ERROR Virg. dixit in VI. *Inextricabilis* error.

SED QVID EGO) *occupatio. genus tranſitus per omiſſionem, quod iccirco ponitur, ne continuatio narrationis horreſcat, & faſtidium pariat.*

PRIMO CARMINE) *à nuptiis Pelei, & Thetidis.*

VT CONSANGVINEAE) *uultum ſubaudias. conſanguineos appellant iureconſulti & fratres, & ſorores.* Claud. *in* I. *de raptu. Proſerp.*

Te conſanguineo recipit poſt fulmina feſſum
Iuno ſinu. Virg. *in* VI.

Et conſanguineus lethi ſopor. nam mortem dicebat Socrates (*ut eſt in* III. *Apoph.*) *ſimilem profundo ſomno.* ex quo Flac. *in* VIII. *ad ſomnum.*

Fratriq; ſimillime letho. ſic Catul. *hic conſanguineam uocat Phædram Ariadnes ſororem, filiamq; Minois ex Paſiphae, ut eſt apud* Ouid. *in Phædra. Plutarch. in Theſeo, & Paralel. Seruium in* VI. *& alios. niſi malis cum Parth. Diodori opinionem ſequi. qui lib.* V. *Phædrã filiã fuiſſe Deucalionis ſcribit, filij Minois, & Ariadnes fratris. quod tamen mihi non probatur. Eurialem etiam legimus Minois filiam, ex qua Heſiodus Neptunum ſcripſit citante*

Higino, genuiſſe Oriona*. item & Pſychiam, unde Pſychia inſula denominata eſt.*

COMPLEXVM VT DENIQVE MATRIS) *ſic quidem interpungendum. tanquam illud quod ſupra dixit, reſpiciat. Lectulus in molli complexu matris alebat. non autem ad ſororem referendum eſt,* complexum, ut credidit Parth.

AVT VT VECTA RATIS SPVMOSA AD LITTORA DIAE) *Dia inſula, Naxos olim dicta, ut ſentit Apol. Scholiaſtes, & alij. in qua Theſeus Ariadnem reliquit. unde Theſea Naxos à Papinio dicta eſt in* VII. *aliter ſcribit Hom.* cuius *hæc ſunt* carmina *in* XI. *Odys.*

Φαίδρην τε πρόκριν τε ἴδον, καλήν τ' ἀριάδνην,
Κούρην μίνωος ὀλόφρονος, ἥν ποτε θησεὺς
Ἐκ κρήτης ἐς γουνὸν ἀθηνάων ἱεράων
Ἦγε μὲν, οὐδ' ἀπόνητο. πάρος δέ μιν ἄρτεμις ἔσχε
Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ Διονύσου μαρτυρίῃσι. *id eſt*

Phædramq́; Procrinq́; uidi, pulchramq́; Ariadnē
Natam Minois prudentis, quam olim Theſeus
Ex Creta in terram Athenarum diuinarum
Duxit: nec potitus eſt, ante ipſam Diana ſuſtulit
Dia in circumflua Bacchi teſtimoniis,

lege Plutarch. in Theſeo.

TRISTEM) non lætam. qua in ſignificatione eſt illud Naſonis in IIII. Meth.

Atq; aliquis de dijs non triſtibus optat,

Sic fieri turpis. qui uerſus (ut clarior, quam fecerit Raphael) reddatur. ſciendum eſt; fabulam eam de Martis, & Veneris cõcubitu ab Hom. VIII. *Odys. eſſe ſumptam, ubi ſic latine legitur. At Apollo. Mercuri Ioue nate, inquit, Mercuri bonorum dator, malles ne in cubili iuxta Venerem auream uinculis preſſus duris cubare? Vtinam inquit, ille, hoc fieret Apollo, uinculaq; ter tanta me retinerent, uos autem dij, deæq; aſpicio, attamen ego apud illam libenter manerem. Dixit. at illi pariter riſere. ex quibus patet, cur dixerit Ouid. De dijs non triſtibus. & quis ſic fieri turpis, optauerit. ſed & de hac re idem in* II. *de Arte.*

Hic aliquis ridens in me fortisſime Mauors

Si tibi ſunt oneri, uincula transfer, ait.

SICCINE ME) ab iracundia, & dolore cæpit. iracundia ex iniuria naſcebatur, dolor uero ex miſeria. & inuehitur in Theſeum ut periurum, & beneficiorum immemorem. oratio tota pathetica eſt, habens initium abruptum, ut docet Macrob. lib. Saturnal. IIII. *cap.* II.

PERFIDE AB ORIS) PERFIDE DESERTO) ἐπαναφορά.

quam comitatur pathos à fortuna, & loco. Theſeum autem proprio nomine doctè à Poeta inducitur appellare. nam iraſcẽtium morem eſſe uti nomine proprio docet Seruius in I. *Aeneid. ibi. Veſtras Eure domos & uerbo amantum eum increpare, perfidum uocans, ut Dido Virgiliana Aeneam.*

SICCINE) *repetitio, quæ cum interrogatione prolata, cum multum uenuſtatis habet, tum grauitatis, & acrimoniæ plurimum. Sciendum eſt autem, huc reſpexiſſe Tibul. cum dixit lib.* III. *eleg.* VII.

Gnoſia Theſeæ quondam periuria linguæ
Fleuiſti ignoto ſola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus
Ingrati referens impia facta uiri.

ex quo arguuntur male ſentire, qui hoc Catulli opuſculum ex Græco poeta tranſlatum, credunt; ſicut De coma Berenices.

AH) *admonẽtis interiectio, ne pergat frãgere fidẽ*

SED CONNVBIA LAETA, SED OPTATOS HYMAENEOS) *Virg. in* IIII. *Per connubia noſtra, per inceptos hymæneos.*

QVAE CVNCTA AERII DISCERPVNT IRRITA VENTI) *Virg. in* IX. *ſed auræ*

NVNC IAM NVLLA VIRO IVRANTI FEMINA CREDAT
huc reſpiciens Ouid. ſub perſona Ariadnes querentis ſe à Baccho relictam fuiſſe; ſic ait in III. *Faſt.*

Nunc quoq; nulla uiro, clamabo, fœmina credat.
dixit & Dido Virgil. *Nuſquam tuta fides.*
eſt autem alluſio ad adagium. Aphrodiſeum iuſiurandum. de quo Rhod. lib. XXIX. *cap.* XVIII. *ita ſcribit. Aphrodiſeum iuſiurandum pro uano, & momenti nullius ex adagio uſurpatur, quoniam eiuſmodi ſit amantium adiuratio, quibus peierare frequentisſimi moris eſt, uel impune.*

APISCI) *pro adipiſci inquit Marcellus. Lucil. lib.* XXVI.

Vt ego effugiam, quod te imprimis cupere apiſci intelligo. Lucret. in VI. *nullo ceſſabunt tempore apiſci*

NIL IVRARE TIMENT) *Tibul. ex collaudatione Pauſaniæ apud Platonem in Sympoſio. Eleg.* I. *lib.* IIII.

Nec iurare time: Veneris periuria uenti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

NIHIL PROMITTERE PARCVNT) *iuxta Ouid. præceptũ in* II. *de Arte.*

Promittas facito, quid enim promittere lædit?

Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt.

SVPREMO IN TEMPORE) *cum maxime ope mea indigeres, qua niſi ſuffultus fuiſſes, Minotauri hiatum uitare non poteras. ſupremo autem tempore, iccirco, quod ſynceræ fidei amici præcipue in aduerſis rebus cognoſcuntur, in quibus quicquid præſtatur, totum à conſtãti beneuolentia proficiſcitur.* παῦροιτε ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν καμάτου μεταλαμβάνειν. *ut eſt apud Pindarum in Nemeis* Ode. IX.

PRO QVO) *à iuſtis funebribus pathos.*

NEQVE INIIECTA TVMVLABOR MORTVA TERRA *miſerrimum apud antiquos habebatur, ſi quis ſepulturæ honore caruiſſet, adeò ut crederent, huiuſcemodi defunctis ad loca placidà, ſedesq́ Elyſiorũ beatas acceſſum prohiberi. unde* Virgiliana *Sybilla ad Palinurum in* VI. *inquit.*

Tu Stigias inhumatus aquas, amnemq́ ſeuerum
Eumenidum aſpicies? & *apud Flaccum in* I. *optat Aeſon, ut inimicus Pelias non membra ſepulchro* Contegat. *quomodo & apud Enn. Thyeſtes Atreũ, citante Tullio in Tuſcul.* I. & Ouid. *Ibin. in principio etiam lib.* Odys. XII. *precatur Elpenor Vlyſſem, ne ipſius corpus relinquat inhumatum, ne inſepultus*

ira deorũ fieret. id qđ petit & Patroclus in XXIII. *Iliad. ab Achille, & Niſus ab Euryalo in* IX. *Virg. Inter uaria autem ſepeliendi genera, fuerat & illud, ut terram ſuper cadauer iniicerent, unde ſepulchra græcis* ἠρία *(ut Theocriti placet interpræti in Pharmac.) dicta ſunt* παρὰ τὴν ἐπιχωομένην τοῖς νεκροῖς ἔραν. *i. ab ea quæ mortuis iniciatur, terra.*

QVOD MARE CONCEPTVM SPVMANTIBVS EXPVIT VNDIS) ſcribit Gel. in XV. cap. XXI. *ferociſſimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam in mari genitos, Neptuni filios dicere, poetas conſueſſe. apud Plutarch. etiam in dialogo. Sit ne rationis uis in beſtiis. in marinis, inquit Ariſtotimus, nullum eſſe gratiæ ſenſum, amorem nullum, nullam ingenii ſuauitatem; recteq; Homerus, ait, Glaucum te genuit mare. de immanſueto, & omnis ſocietatis experte dixit, quòd beneuolum, miteq; nil mare gignat. ad hæc itaq; reſpicit* Catul. *potius, quàm quòd Neptuni dictus eſſet filius Theſeus.*

SCYLLA VORAX) ſic Ouid. in *Ibin. Aut quos Scylla uorax. al. rapax. ut* Virg*. in Cul.* & Ouid. in VII. *Meth. & in Heroid. loquente Medea. Aut nos Scylla rapax, ubi animaduertas, aut*

Scyllam

Scyllam Niſi pro Phorci poſuit; aut eorum ſequitur opinionem, inter quos fuit Lucret. in V. *qui & ipſam in marinum monſtrum fuiſſe mutatam ſcripſere. ſicut etiam alibi, dicens. præterita cautus Niſeide nauita gaudet. iuxta quos locutus eſt quoq; Virg. in Sileno non autem ex propria ſententia (ut credidit Hubertinus) cuius rei ſignum eſt ipſius Ciris. niſi malis ſequi diſtinctionem Seruij.*

PRISCI PARENTIS) ſenis. contra Vallam lib. IIII. *cap.* LXXXVI. *niſi magis placeat adhærere Palladio.*

CANDIDA PERMVLCENS LIQVIDIS VESTIGIA LYMPHIS) hoc manifeſtum præbet amoris ſui indicium, cum regia filia ſeruile officium ſubire non recuſet, & à pedibus ſeruam eſſe. cuiuſmodi ſeruos habebant antiqui. Plutarc. *in Pomp.* καὶ τὸ λοιπὸν ἐκ τούτου περιέπων, καὶ θεραπέυων, ὅσα δεσπότας μέχρι νίψεως ποδῶν, καὶ δείπνου παρασκευῆς διετέλεσεν .i. *Deinde in poſterum ei præſto eſſe, eiq; ſeruire, quemadmodum ſerui dominis, uſq; ad pedum purgationem, cenæq; apparatum haud deſtitit. hinc eſt in Euangelicis literis SALVATOREM NOSTRVM Apoſtolis pedes lauiſſe, ueluti huiuſcemodi miniſterio, quod inter*

ſeruilia, eſt uel maximũ, eos docens, depoſito faſtu, ui ciſſim ſibi ipſius ſeruire. nam omnis CHRISTI *actio (ut ille ait) noſtra eſt inſtructio. Pacuuij carmina, quæ ſunt apud* Gel. *lib.* II. *cap.* XXVI. *prætermittenda non duxi.*

Cedo tamen pedem lymphis flauis, flauũ ut puluerẽ
Manibus iiſdem quibus Vlyſſi ſæpe permulſi, abluã
Laſſitudinemq; nimiam manuum mollitudine.

ubi conſiderandum eſt, num minuam, pro nimiam ſubſtitui debeat.

CANDIDA VESTIGIA) pulchros pedes. quomodo exponit Porph. illud Horat. Ode. III. *Epod.* *candidũ Medea mirata eſt ducẽ. ſcribitq; ſemper candoris nomine Virgilium in ſignificatione pulchritudinis uti.*

NEC MISSAS AVDIRE QVEVNT, NEC REDDERE VOCES) Virg. I. *Aeneid.*

Veras audire, & reddere uoces.

NEC QVISQVAM APPARET VACVA MORTALIS IN ALGA) pro eo quod ipſa dicit apud Ouid. *nauita nuſquàm,*

Nulla per ambiguas puppis itura uias.

FORS ETIAM NOSTRIS INVIDIT QVESTIBVS AVRAS al. aures, ut ſit ſenſus. non ſat fuit, quod ſola in deſerto loco ſum feris deſtituta, uerum etiam nullus adeſt qui meas audiens querellas, poſſit ad Theſea deferre fugientem. quòd ſi alio modo legas cum Parthenio, reiterabitur ſenſus, & Catullianus candor deprimetur. IVPPITER OMNIPOTENS) hinc Virgil. Dido in IIII.

Felix, heu nimium felix, ſi littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.

DVLCI CAELANS CRVDELIA FORMA) Galenus lib. XI. de Vſu partium. natura, inquit, moribus animæ formam corporis aptam, & congruentem effingit. & in II. de Temp. Natura particulas ſecundum animæ mores effingit. quod repetit in lib. de Arte Med. docet quoq; Ariſt. in lib. de Phyſiognomia, naturam cuiuſq; ex forma perſpici poſſe. unde & Hierony. in Reg. Monach. cap. XXXVIIII. Hominem dicit exteriorem interioris eſſe indicē. ex quo Socrates, ut eſt apud Xenophontem in III. de eius factis & dictis, Parrhaſiũ docuit animi effigiem pingere. ita ut qui formoſi ſunt, ij nequaquam fallaces uere credi debeant. ex quo &

Ouid. *Medea in* VII. *Meth. ſed non is uultus in illo*

Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,

Vt timeam fraudem, meritiq́ꝫ obliuia noſtri.

& apud Virg. *in* Ciri. *Scylla.*

Non equidem ex iſto ſperaui corpore poſſe

Tale malum naſci: forma uel sydere fallor.

ita Apul. *in* II. Apol. *Formã uocat animi indolem. docens etiam Plato in Phædro, qualis eſſe debeat bonus uir, ipſi dat rectam ſpeciem, nitidum colorem, arduam ceruicem, & alia quæ ibi eſt uidere. & Proclus in lib.* de Anima. τὸ καλὸν *dicit ſecundum naturam eſſe amabile. ſic dictum* διὰ τὸ καλεῖν, *quod animas prouocat permulcetq́ꝫ. apud* Senecã *Theſeus de Hyppol. ſic ait.*

O uita fallax: abditos ſenſus geris,

Animisq́ꝫ pulchram turbidis faciem induis.

& noti ſunt uerſus.

O fallax hominum uultus: ne credite fronti.

In blando nulla eſt ſæpius ore fides. Theſeũ autem fuiſſe formoſisſimum ſcribit Pauſanias in Attica. CONSILIVM IN NOSTRIS QVAESISSET SEDIBVS HOSPES) *al. requieſſet. ego uero primæ lectioni accedo. ut ſit alluſio ad conſilium quod dedit Theſeo, ut ſcilicet euadere poßet fauces Minotauri, & labyrintheis è fluxibus egredi. hunc autem locum ita ſibi acco-*

modauit Ouid. loquente ipſa.

Viueret Androgeos utinam, nec fata luiſſes
Impia funeribus Cecropi terra tuis.
Nec tua mactaſſet nodoſo ſtipite Theſeu
Ardua parte uirum dextera, parte bouem.
Nec tibi quæ reditus monſtrarent, fila dediſſem,
Fila per adductas ſæpe recepta manus.

NAM QVO ME REFERAM) *pathos ab addubitatione. & eſt dialogismos.*

IDMENEOS) *ego cum Parthenio Idæos laudo, ut legatur, ab Ida Cretēſi mōte, ut ſcribunt Pauſanias in* IIII. & *Ptol. lib. Geog.* III. *cap.* XVII. *nec me latet à Diod. in.* VI. & *alijs ſcriptum eſſe, Deucalionem Minois filium Idomeneum genuiſſe, à quo potuit regio nnncupari; ſed nihil ad rem facit, cum poſtmodum ipſe fuerit.*

AT GVRGITE LATO DISCERNENS PATRIAM TRVCVLENTVM DIVIDIT AEQVOR) *ſic quidem legendum eſt. nam Cretan undiq; mari allui, ſcribit in* I. *Oroſius. Hom. in* XIX. *Odys. Ariſt. Polit.* II. *cap.* VIII. *Ptol. loco adducto, & alii.*

QVIVE FVGIT) *al. qui refugit. uel quippe*

fugit. quod placet magis. cum ſit Dialogiſmos, & ratio qua Theſei conſolatione deſtituatur.

LENTOS REMOS) *flexibiles.* Virg. *in* III. *Ante & Trinacria lẽtandus remus in unda.*

PELAGI CINGENTIBVS VNDIS) Seneca in Oedipo.

Naxos Aegeo redimita ponto
Tradidit thalamis uirginem relictam
Meliore penſans dãna marito. & *apud* Ouid. *ipſa.*
Omne latus terræ cingit mare.

NVLLAE FVGAE RATIO) ἀναφορά

MVLTAM) *uocabulum Sabinum. Aulus Gellius lib.* XI. *cap.* I.

POSTREMAE COMPRECER HORA) *apud Virg. in Ciri Scylla. Extrema moriens tamen alloquor hora. quẽ uerſum repetit Ecloga* VIII. *ubi Seruius exponit, paulo poſt moriturus*

FACTA VIRVM MVLTANTES VINDICE PAENA EVMENIDES) *ex Chryſippo ſcribit Plutarh. in prob. Cur Laribus canis aſſiſtit. Dæmonia quædam mala circũire, quibus dij quaſi carnificibus, & ſcelerum ultoribus aduerſus iniuſtos, & impios utuntur cuiuſmodi Eumenides dicuntur à poetis. & Calabro*

lib. I. *unde Stat. in* IIII. *Theb. miniſtras uocat fune-ſtorum operum.& Virg. ultrices. ſunt autem tres de quibus lege Fulgentium lib.* I.

ANGVINEO REDIMITA CAPILLO) *Pap. in* XI. *Theb.*

Anguicomæ ducent uexilla ſorores. Ouid. in Ibin.
Quasq; ferunt torto uittatis angue capillis
Carceris obſcuras ante ſedere fores.

HVC HVC) ἀναδίπλωσις.

SED QVALI SOLAM) *impreca-tio. cuius ſenſum explicat idem infra ſcribens.*

Sic funeſta domus ingreſſus tecta paternæ
Marte ferox Theſeus, qualem Minoidi luctum
Attulerat, mente immemori talem ipſe recepit.

ſic etiam Mitridatem, autor eſt Eutropius lib. VI. *De bello Spartico. cũ uideret Pharmacem filium con-tra ſe exercitum ducere: utq; diſiſteret, exorari non poſſe, ita exclamaſſe. Quoniam Pharmaces mori iu-bet, uos, ſi eſtis, dij patrij, precor, ut quandocunq; hanc uocem ipſe audiat a liberis ſuis. Neq; enim lex iuſtior ulla eſt Quam necis artifices lege perire ſua.*

ANNVIT) *rata fore Ariadnes uota hoc geſtu ſignificauit. ſi quidem, ut ex Callimacho uertit Polit. in Miſcel. Iouis uertex omnia nutu Perficit.*

INVITO NVMINE) *ego, quicquid dicat Parth. inuicto, lego ex prima Iliad. Rapſodia, ubi ſic loquitur Iuppiter.*

τοῦτο γὰρ ἐξ ἐμέθενγε μετ᾽ ἀθανάτοισι μέγιστον
τεκμώρ, οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ᾽ ἀπατηλὸν,
οὐδ᾽ ἀτελεύτητονγε ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω, *id eſt*

Hoc enim mihi cum diis maximum eſt
Signum, nunquam irretitum, nunquam fallax,
Neq; imperfectum, quod ego capite annuam.

numine autem pro nutu accipio, quomodo illud Maronis in I. *Aeneid. Meo ſine numine uenti. exponit Priſcianus lib.* IIII. *numen enim à nuo dicitur.*

QVO TVNC ET TELLVS) Ouid. *in* I. *Meth.* terrificam capitis concussit terq; quaterq;
Cæſariem, cum qua terram, mare, ſydera mouit.

& *Hom. dicit* μέγαν δ᾽ ἐλέλιξεν ὄλυμπον. *quod imitatus* Virg. *in* VIIII. *ait.*
Annuit, & totum nutu tremefecit olympum.

Pap. in VII.
Concuſſitq; caput, motu quo cælſa laborant
Sydera, proclamatq; adiici ceruicibus Athlas.

CLASSIS) *al. caſtæ. ut ad diuæ referatur. et intellig ātur* Athenæ, *quas Minerua dicitur cōdidiſſe.*

LINQVERET) *al. linquentem gnatum.*

GNATE MIHI LONGA IV-

Condior

CONDIOR VNICE VITA) hinc Virg. loquente Anchiſa, in V.

Nate mihi uita quondam dum uita manebat
Chare magis nate. Plutarch in lib. περὶ πολυφιλίας. *Ea certe, inquit, eſt ratio, quòd natura quibus animãtibus unicum tribuit fœtum, eis amorem indiderit uehementiorem. hinc Homerus dilectum filium, unicum, & hunc τηλύγετον ideſt in ſenecta matris editũ uocat, qua ſi quem ſolum genuerit, poſt hac fœtũ nullum habitura.*

NONDVM SATVRATA FIGVRA) *nam nuper Theſeum ſibi filium cognouerat. hiſtoriam lege apud Plutarch. in Theſeo.*

CANITIEM TERRA ATQVE INFVSO PVLVERE FOEDANS) *doloris inditium. Virg. in Ciri.*

Intonſos multo deturpat puluere crines, in Iob etiã legimus cap. II. *Et exclamantes plorauerunt, ſciſſisq́; ueſtibus ſparſerũt puluerem ſuper caput ſuum in cœlum. nec aliud intelligitur in. II. Regum cap.* XVIIII *. ubi dicitur, quod Dauid audita filii Abſalonis morte, coopeꝛuit caput ſuum. puluere ſcilicet; ut ex doctiſſimo, mihiq́; amiciſſimo Hebræo accepi. hoc idem ſignificauit Sex. Aurelius cum de Auguſto ita ſcribit. Quod in tantum accidiſſe perdoluit, ut cerebri ualido incurſu parietem*

pulſaret veſte, capilloq;, ac reliquis lugentium inditiis deformis. hinc feralem puluerem uocat Pap. in VI. *Aegyptij, cum domeſticus alicuius momenti deceſſit, caput ſibi, & uultũ limo oblinunt. autor Herodotus in Euterpe.*

QVOD TIBI SI SANCTI CONCESSERIT INCOLA ITHYNI

latet ſub omni, quod aiunt, lapide ſcorpius. al. ithomi, ut placere uidetur Lilio Syntag. XI. *thomi. ithonis. montibus hydri. hymetti. & ithoni. quomodo legit Bembus in dial. ad Herculem Strotium. ego apud Strab. in* IX. *Ictinum, caſtigatiſſime, licet Parth. neget, inuenio Virginibus domicilium in templo Palladis condidiſſe. cuius meminit etiam Plin. lib.* XXXIIII. *cap.* VIII. *Plutarch. in Pericle. Rhod. lib.* XXIX. *cap.* XXII. *Cicero in præfat. parad. Ouid.* IIII. *de Ponto. eleg.* I. *Val. Flac. in* V. *Tzetzes chil.* VIII. *hiſt.* CXCII. *Vitruuius lib.* IIII. *cap.* VII. *& in præfactione lib.* VII. *Apollonius autem Mineruam uocat Itonida lib.* I. *ab Itone Theſſaliæ ciuitate, ut ibi ſentit Scholiaſtes, quem lege numero.* XXII. *&* XXVIII. *de qua meminit Pap. in* VII. *ita ſcribens, ex emendatione Hermolai in Plin. lib.* III. *cap.* VII.

Ducit Itonæos, & Alalcomæna Mineruæ
Agmina. & in II. *circa finem.*

Siue Pandionio noſtras inuiſere cædes
Monte uenis: ſiue Aonia diuertis Itone.

ubi Lactantius Itonem Bœotiæ ciuitatem eſſe, Mi-neruæ ſacratam docet. Itoniæ etiam Mineruæ facit mentionem Plutarch. in Pyrrho. & Amatoriis Narrationibus. in narratione Phoci. & Pauſanias in Laconica. ex quibus Catulli carmen ita poſſet emendari.

Quod tibi ſi ſanctæ conceſſerit incola Itones.

Sed non uideo, qua de cauſa Athenienſis Aegeus Bœoticam potius quam Atticam Mineruam fauere nato inducatur optare. Quare meliori iudicio, quid reponendum ſit relinquo ut conſideret. ego certe in tenebris huiuſcemodi Cimerijs lucem non agnoſco, nec ingenue fateri, quod ille ait, pudori duco. illi etiã grato animo acceſſurus, qui exactiorem, ſi fieri poteſt, in uenerit lectionem. illud interim non negauero inter deprauatos ſcriptores, deprauatiſſimum eſſe Catullum, ita ut Delio natore, opus eſſet.

CANDIDA SVSTOLLANT VELA RVDENTES) in ſignum uictoriæ. ſic apud Curtium in VII. militibus ſuis Euadite, inquit Alex. in cacumen, quod cum cœperitis, candidis uelis ſignum mihi dabitis. fœlicia. n. ſunt alba HAEC MANDATA) ſenſus eſt. ueluti celeres linquunt nubes montis cacumina, cum fu-

renti uentorum rabie expelluntur; ita & à Theſeo patris mandata deuolarunt. his autem intelligendum eſt, liquere, referendumq́ ad mandata & nubes. aerii uero pro alto poſuit, ſicut ad Manlium.

Aerei perlucens uertice montis.

PROSPECTVM) *nomen ſubſtantiuum.* Virg. I. Aeneid.

Aeneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit. *petere igitur proſpectum ex aliquo loco, eſt inde tanquam ex ſpecula proſpicere.*

ANXIA LVMINA) *quod erat animi, luminibus tribuit. nam uitium in lumina mẽtis trãſit.*

INFLATI VELI) *lego infecti. cum nihil ſententiam adiuuet, inflati; & ſupra dixerit.*

Inde infecta uago ſuſpendam lintea uelo. ut ſit ſenſus, ubi primum uidit nauem redeuntem cum nigris uelis, ſuſpicatus Theſeum fuiſſe Minotauro deuoratum ſe præcipitem dedit.

SCOPVLORVM VERTICE) *à Sunio Atticæ promontorio ſe dediſſe præcipitem ſcribit Pap. in ultimo Theb.*

Linquitur Aeois longe ſpectabile proris
Sunion: unde uagi caſurum in numina ponti
Creſſia decepit falſo ratis Aegea uelo.

PRÆCIPITEM IECIT) *idem* epig. XXXV. *Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt. quod epigramma, ne omittamus, quod nulli attigerunt, ſcriptum eſt in Firmianum, qui Mētula appellabatur. ut teſtatur idem* Catul. *in penultimo epigrammate.*
ASPECTANS ACCEDENTEM) *ita legit, ſed inſulſe, Parth. tu uero legas, cedentem.*
SAVCIA) *hac uoce & de Didone amante utitur* Virg. *in* IIII. *alludens, ut ait Seruius, ad Cupidinis ſagittas.*
AT PATER EX ALIA) *legendum eſt. parte. etiam ſi Parth. legat, Pater. ut intelligamus parte ex alia ueſtis, intertexta fuiſſe quæ ſubdit. tali hemiſtichio utitur* Cicero *in interpret.* Arati.
FLORENS) *Diod. lib.* V. *de Bacco ſic latine refert. In ſolennitatibus, diebusq; feſtis ueſtes floridas, molles, ac delicatas induebat. Philoſtratus lib.*I. εἰκόνων. de Ariadne. ἁλουργίδι δὲ στείλας ἑαυτὸν, καὶ τὴν κεφαλὴν ῥόδοις ἀνθίσας ἔρχεται παρὰ τὴν Ἀριάδνην ὁ Διόνυσος μεθύων τῷ ἔρωτι. *id eſt ueſte autem ſe ipſum exornans* Baccus *purpurea, &* capite *roſis florido, uenit ad* Ariadnem, *ipſius amore inebriatus. huiuſmodi autē delitias Bacco peculiares fuiſſe nemo non dicit. ita* Claud. *in* I. *de raptu. eum crinali florentem canit hedera. item Tib. lib.*I. *eleg.* V. *Propert. in* III. *eleg.* XV. *& alii.*

unde & mitram ad mollitiem geſtaſſe, præter alia: inditio eſt uerſus ille Propert. lib. IIII. *eleg.* II.

Cinge caput mitra, ſpeciem furabor Iacchi.

ex quo uerſu accuſant inſulſi literatores Bayſium qui in lib. de re Veſt. cap. XIX. *mitram dat ſolum fæminis, allegãtes quoq; illud Virg. in* IIII. *Aeneid.* *Mæonia mentum mitra. & aliud in* VIIII. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ. ignari illam Baccho dari, tãquam fæminarum duci, & muliebri cultu ornato, ſicuti & syrma, apud Senecam in Hercule furenti, & alibi. Troianis autem illam obijci, ut uiris indecoram. nec conuenieñtem.*

IACCHVS) nomen Bacchi, deductũ, uel ἀπὸ του ἰάχειν, *uel* απο τῆς ἰαχῆς *id eſt clamore, & uociferatione, qua in ipſius ſacris utebantur Mænades.*

CVM THYÁSO) thyaſum intellige ſaltationem, & choream. ita enim exponit Ser. illud Virg. Ecgloga V.

Daphnis thyaſos inducere Bacco. Tib. lib. I. *eleg.* VII.

Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus Oſiri,
Sed chorus, & cantus, lenis, & aptus amor.

SATYRORVM) quales ſint Satyri, docet Hierony. in uita Pauli, primi Heremitæ. quos ita appellatos, quaſi ſathunos, quod ſint in libidinem proni, ſcribit Macrob. lib. I. *Satur. cap.* VIII. παρὰ τὴν σάθην,

quod mentulam ſignificat. inde ſatyriũ deducitur, quod prolubedinem, & uriginem uenercam denotare tradit Baptiſta Pius cap. Annot. ſuarum II. *& diaſatyrion medicis dicitur medicamentum ad uenerem promouendam ualidiſſimum.*

SILENEIS) *al. ſilenis. itaq; legendum præcipit Beroald. in Propert. lib.* I. *eleg.* XX. *aſſerens eos male facere, qui hic legunt Sileneis. notãs fortaſſe, Parth. intelligit autem poeta Niſeorum nobiliores. nam ſic ſcribit Diod. in* IIII. *Dicuntur inſuper ſubſidium ei tuliſſe Niſeorum nobiliores, quos à primo eorum rege Sileno Silenos uocant.*

FVREBANT) *quatuor diuini furoris ſpecies uult eſſe apud Platonem in Phædro Socrates. Vaticinium ſcilicet quod Apollini tribuit. Myſterium, quod Bacco. Poeticam, Muſis, & Amatorium furorem Veneri, & Amori. quem Platonis locum innuit Cicero lib.* I. *de Diuinat.*

CAPITA INFLECTENTES) *ſic in de Aty.*

Vbi capita Mænades ui iaciunt hederigeræ.

Ouid. Meth. III. *de Agaue. collaq; iactauit. Iuuenal. ſaty.* VI. *Crinemq; rotant ululante Priapo. ad hunc locum faciunt, quæ ſcribuntur à Tacito lib. Annal.* XI. *ad hunc modum. At Meſſalina nõ alias*

ſolutior luxu, adulto autumno, ſimulacrum uindemiæ per domum celebrabat, urgeri prælа, fluere lacus, & fœminæ pellibus accinctæ aſſultabant, ut ſacrificantes uel inſanientes Bacchæ: ipſa crine fluxo thyrſum quatiẽs, iuxtaq; Syluius hedera uinctus, gerere cothurnos, iacere caput, ſtrepente circum procaci choro.

QVI TVM) eo referendũ eſt. *Cum thyaſo ſatyrorum. qui tum alacres &c.*

PARS E DIVVLSO IACTABANT MEMBRA IVVENCO

Clementis uerba, Euſebio citante lib. II. *de Euangelica præparatione, cap.* V. *hæc ſunt ad iſtum locum facientia.* Quid *dicam de* Dionyſio? *quẽ Mænolem græce id eſt totum furentem appellant; cui Bacchæ orgia celebrant,* & crudas carnes *comedentes ſacro furore iniiciantur.* Apol. *etiam in* I. *Thyadas uocat* ωμοβορους, *quoniam, ut ex Euripide refert Scholiaſtes* πολλακις τῇ μανίᾳ κατασχεθεῖσαι καὶ ὠμοσπαρακτα ἐσθιουσιν. *id eſt furore* cõcitatæ, crudas carnes comedunt dilaceratas. *Lucianus* ἐν προσαλλια, ἢ Διονυσω. τὰς δ᾽ οὖν, *inquit,* πόιμνας διηρπάσθαι ἤδη ὑπὸ τῶν γυναικων, καὶ διεσπάσθαι ἔτι ζῶντα τὰ θρέμματα. Ὠμοφάγους γαρ τινας αὐτὰς εἶναι. *id eſt armenta à mulieribus raptari, & adhuc uiuentes pecudes dilacerari. ſi quidem crudis carnibus ueſcuntur,* Pap, lib. IIII. *Theb.*

Poſt

Poſt exultantes ſpolia armentalia portant,
Semineceſq́ lupos, ſciſſaſq́ Mimallones urſas.

Flaminius in I. Carm. ad Bacchum.

thyrſisq́ feras hederigeris Lanient. huc reſpexiſſe Flaccum crediderim, cum ſic lib. III. inquit.

Ceu pauet ad crines, & triſtia Pentheos ora
Thyas, ubi impulſæ iam ſe Deus agmine matris
Abſtulit, & cæſi uaneſcunt cornua tauri.

quicquid ibi dicat Pius. nam & Seneca in Oedipo, ſimili ſenſu dicit. Pentheos artus Thyades œſtro
Membra remiſſæ uelut ignotum Videre nefas.

& Statius loco citato.

Penthea iam fractis genitrix Cadmæia thyrſis,
Iam demiſſa deo, pectusq́ adoperta cruentum,
Inſequitur planctu. iuxta quæ Catullum credo nihil ad Penthei fabulam alludentem, ut uoluit Pius, diuulſo iuuenco dixiſſe.

PARS SESE TORTIS SERPENTIBVS CINGEBANT) *morem fuiſſe Bacchis, ut ſerpentibus cingerentur, teſtatur etiam Euripides ἐν βάκχαις ita loquente choro.*

Στεφανοῦσί τε δρακόντων Στεφάνοις *id eſt*
Coronaturq́ ſerpentum Coronis.

Demoſt. in oratione περὶ τοῦ στεφάνου. τοὺς ὄφεις, *ait de Aeſchine,* τοὺς παρείας θλίβων. *id eſt ſerpentes ſtringens*

parias.) uide etiam Philoſtratum lib. Εἰκόνων. II. ἐν ὕμνοις Ouid. *lib. Meth.* XI. *dixit. tectæ lymphata ferinis Pectora uelleribus. Nebridas etiam id eſt pelles ceruinas geſtaſſe ſolitas notum eſt.*

PARS OBSCVRA CAVIS CELEBRABANT ORGIA CISTIS) ſecreta. unde eſt. Orgia quæ fruſtra cupiunt audire prophani. Tib. lib. I.

Et leuis occultis conſcia ciſta ſacris. Flac. *in* II.

Et plenas tacita formidine ciſtas. Apul. *in* XI. *de* Aſino. *ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax penitus* celans *operta magnificæ religionis. rurſus. Et tæda quædã gerens. de iis autẽ ſacris ita ſcribit Euſeb. lib.* II. *cap.* V. *de præparat. Dionyſii miſteria penitus inhumana; quemadmodum puerum cum Curetibus ſalientem dolo puerilibus donis Titanes deceperint, & raptũ dilaniauerint, ut* Orph. *poeta cecinit, & Diod. in* V. *munera uero quibus captus dicitur, pinea, & aurea poma Heſperidum fuere, quorum ſacrorum symbola non eſt utile audire. pila, pinea, ſpeculum, poma hæc ille. Diod. lib.*I. *Quapropter Græci cum orgia ſacraq; Dionyſia ex* Aegypto *trãſtuliſſent, huic quoq; portioni (de pudendis loquitur) honores impenderũt, eam in ſacris, & ceremoniis phalon appellantes.*

Plutarch. in lib. de Cupiditate opum. in Bacchi ſacris illam fuiſſe pompam ſcribit. amphoram uini, hircum quem trahebat aliquis, ciſtam nucum, & phalon. de quo meminit & Auguſt. in VII. *de ciuitate Dei, cap.* XXI. *& Herodot. in* II. *cum Luciano* περὶ τῆς Συρίης θεοῦ. *& Rhod. lib.* VII. *cap.* XVI. *ubi colligit, quæcumq; ſuper iſtis ſacris dixerint antiqui. Florus Epit.* XXXIX. *Aemylium ſcribit Bacchanalia, græcum ſacrum, & nocturnum, ſcelerumq; omnium maximum ſeminarium ſuſtuliſſe. cuius meminit & Tertul. contra gentes cap.* VI. *& pleniſſime Liuius lib.* IX. *decadis* IIII. *qui ea diruiſſe tradit Sp. Poſthumium Albinum & Q. Martium Philippum coss. anno ab* V. C. *568. ut eſt in Chronol. Glareani.*

ORGIA) *Seruius in* IIII. *Aeneid. ibi ſtimulant trieterica Baccho. Orgia ſcribit apud Græcos dici ſacra omnia, ſicut apud latinos ceremoniæ. ſed iam abuſiue ſacra liberi Orgia uocari uel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς *id eſt à furore. uel* ἀπὸ τῶν ὀρων. *id eſt à montibus. idem eſt apud Strab. in* X.

MVLTI RAVCISONOS EFFLABANT CORNVA BOMBOS) ita quidem citat Plautius in primam Perſii ſatyram. ſed, refragante Grammatices ratione, emendandum eſt

Multi rauciſonis efflabant cornua bombis. uel
Multaq́; rauciſonos efflabant cornua bombos
Diod. in III. *uſum ſcribit Bacchum tympanis, & cymbalis, quia nondum erat reperta tuba. at alij contra & tubam, & tibiam dant Bacco. ex ſua fortaſſe perſona. quomodo Claud. Lacheſi loquente ad Plutonem lib. .de raptu.*

Neu prælia fratrum Ciuili conuerte tuba. ex ſua perſona, inquam, tuba dixit. cum eam multo poſt inueniſſe tradat Plin. lib. VII. *cap.* LVI. *Tyrrenum Piſeum. ita apud Ouid. in* I. *Meth. tyrãnus dicitur ex poetæ perſona. ſic loquente Ioue.*

Tecta tyranni Ingredior. quod ſi animaduertiſſet Raphael, non ibi miraretur.

BARBARAQVE HORRIBLI STRIDEBAT TIBIA CANTV idem in de Aty. *Tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo. quod imitatus Flaminius lib.* I. *ad Bacchum dixit.*

Phrygiis recurua ſtridet graue tibia calamis.
Pap. in VI. *Theb.*
Cui ſignum luctus cornu graue mugit adunco Tibia.
& Horat. in Arte poetica, *æmulam tubæ, tibiã dicit. uidendus eſt etiam Ser. in* IX. *ibi*
Aſſuetis biforem dat tibia cantum

horribilem uero cantum uocat, quod Phrygiam tibiam audientes inſaniebant, autore Luciano in Nigrino. uerum ex tibia effici horribilem cantum, non uideo. quin Tibul. de Bacco loquens lib. I. eleg. VII.

Et dulcis tibia cantu. ubi neſcio cur ſubſtituerit Pius in Annot. ſuarum cap. IX. dulcia tympana.

HIC QVALIS FLATV) Argonautarum à Peleo, & Thetide diſceſſum uento Zephyro comparat. hoc ſenſu. Argonautæ diſcedentes primum leniter, nec celeri paſſu, poſtea uago quiſq; pede ad nauim feſtinanter deuenere; nõ ſecus ac ſoleat Zephyrus primum leni flatu undas incitare, maiori deinde impulſu illas agitare. & eſt cõparatio ſumpta ex lib. IIII. Homericæ Iliad. ubi ſic legitur.

Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης,
ὄρνυτ' ἐπασσύτερον ζεφύρου ὑποκινήσαντος,
πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
χέρσῳ ῥηγνύμενον, μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας
κυρτὸν ἐὸν, κορυφοῦται, ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην,
Ὣς τότ' ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες,
Νωλεμέως πόλεμον δέ.

quem in locum ita ſcribit Euſtbatius.

Μιμούμενος ὁ ποιητὴς ἐν παραβολῇ θαλασσίᾳ τραχύτητα κυμάτων ἦχον, ὁμοίαις πως λέξεσι φράζει τὸ ὑποκείμενον συνεκτραχύνων δι' ὅλου τῷ λεγομένῳ, καὶ τὴν φωνήν. λέγει γὰρ ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, ζεφύρου ὑποκινήσαντος. ἤγουν ἠρέμα τὸ πρῶτον εἰς φρίκα διασαλεύσαντος. πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται. αὐτὰρ ἔπειτα χέρσῳ ῥηγνύμενον, μεγάλα βρέμει. ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας κυρτὸν ἰὸν κορυφοῦται. ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην. ἤγουν

ἀφρὸν ἢ φυκίον, ἄπτυελον ὥσπερ ἤτοι ἀπόπτυσμα θαλάσσης εἰσὶν ἐρευγομένης ἔξω ὥς ἐν ἄλλοις φησίν. ὥς τότ' ἐπασσύτεραι Δαναῶν κίνυντο φάλαγγες νωλεμέως πόλεμόνδε. καὶ ἔστιν ἡ ῥηθεῖσα παραβολὴ πρὸς τὴν πυκνότητα τῶν κατὰ φάλαγγας κινουμένων, καὶ τὸν ἐκεῖθεν πολὺν ἦχον. *Sed, ut altius res conſideretur, notandum eſt, hic niſi Zephyrum pro Auſtro accipiamus (quomodo eundem pro omnibus uentis poſuiſſe Papinium in principio.* II. *Theb. ſentit Lactant. & Virg. in* II. *Georg. ibi. Quàm multæ Zephyro turbētur harenæ) non procedere: cum non mane, ſed poſtmeridianis horis eum flare ſcribat Ariſt. Sect.* XXVI. *Prob. quæſt.* XXXV. *&* XXXVII. *ſitq́ue, eodem autore, uentorum leniſſimus, atq́ue iucundiſſimus. quare de Auſtro, reliquum eſt, ut intelligamus. quem ibidem Ariſt. quæſt.* XXXXI. *&* XXXXVII. *paruum oriri tradit, magnum uero deſiſtere. ex quo Catul.*

Quæ tardæ primum clementi flamine pulſæ
Procedunt, leuiterq́ue ſonant plangore cachinni,
Poſt uento creſcente magis magis increbreſcunt. &

ſuffragatur Val. *Flac. in* VI.

Ac uelut ante comas, ac ſumma cacumina ſyluæ
Lenibus alludit flabris leuis Auſter, at illum
Protinus immanem curuæ ſenſere carinæ. quam noſtram expoſitionem, ut credā ueriorem, facit, uerbum Horrificans, quod appoſuit poeta ad diſtinguendam uenti ſpeciem, accedente etiam Ludouici Arioſti au-

toritate, q̃ hũc locũ imitatur cantu XXIIII. στροφῆ IX.

VAGI SVB LVMINA SOLIS

Claud. in II. *de raptu. tremulis uibratur in undis*

Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.

Olympius Chartaginienſis poeta Ecloga II.

Et tremulum liquidis ſplenderet lumen in undis.

SONANT PLANGORE CACHINNI) cachinnum pro marino, eoq́; quod undæ faciunt fluctuantes, murmure, antique poſuit. hinc cachinnare ſcribit Marcel. de uehemẽtiori dictum ſono. citatq́; Actium ita in Fundis ſcribentem.

Simul & circum magna ſonantibus excita ſaxis

Sæua ſonando cum crepitu clangente cachinnant.

apud Theocritum Idyl. VI. *hoc nomen græce exprimit Daphnis, illo uerſu.*

τὰ δὲ νιν καλα κύματα φαίνει

Ἄσυχα καχλάξοντα ἐπ' αἰγιαλοῖο θέοισαν. *ideſt*

Illam autem pulchræ undæ oſtendunt

Quiete cachinnãtes in littore currentẽ. ubi interpres.

ὁ τρόπος ὀνοματοποιΐα, ἡ καχλάζειν, τὸ ψοφεῖν τὸ κῦμα φερόμενον ἐπὶ τοὺς κάχληκας.

in uerſu Theocriti nõ recte Trimaninus καχλάξοντα *cum* αἰγιαλοῖο *iunxit.*

PVRPVREAQVE PROCVL NANTES A LVCE REFVLGENT) Claud. in II. *de raptu.*

Impulit Ionios præmiſſo lumine fluctus
Nondum pura dies. tremulis ubratur in undis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
Flac. in V. *Fulſere undæ ſol magnus ut orbẽ Tolleret.*

CHIRON) *hunc ſcribit Xenophon in lib. de Venatione. Iouis fratrem fuiſſe, ſed illum Rhea, hunc Naiade nympha matre. apud quẽ, cum Peleus obtinuiſſet, ut ſibi Thetin dij diſponſare cuperent, nuptiæ celebratæ ſunt. Chironẽ tradit Claud. in præfat. nup. Honorij, Ioui communia pocula miniſtraſſe. eũdem reprændit Ariſt. in* III. *Eth. ad Eudemum, ꝙ lætali uulnere percuſſus mortem optauerit.*

PRINCEPS) *primus.* Cicero de Orat. II. *Herodotum illum qui princeps genus hoc ornauit. primus enim uenit Chiron, poſt Peneus, deinde Prometheus, Deiq́ʒ. contra, qui apud Virg. ibi.*

Troiæ qui primus ab oris. primum exponunt pro Principe, male intelligunt.

THESSALA. MAGNIS MONTIBVS ORA CREAT) *Plin. lib.* IIII. *cap.* VIII. *quatuor, & triginta montes in Theſalia eſſe ſcribit. & Herodotus in Polymnia. Cuncta, inquit, undiq́ʒ montibus redimita eſt Theſſalia. Oram autem, regionem accipe. ut Troiæ qui primus ab oris. Soluere orã ꝓ nauigare, poſuit Quint. in præfat. lib.* I.

Propter

PROPTER FLVMINIS VN-DAS) propter pro propè. Virg. ecglo. VIII. propter aquæ riuum. Cicero in IIII. in Ver. propter ædem Vulcani. flumen autem, opinor, Peneum intelligi, quem allegato loco Plin. tradit eſſe in Theſſalia circa ripas amænisſimum, & Diod. in V. de Hercule cum alijs.

AVRA PARIT FLORES TEPIDI FAECVNDA FAVONI legendus eſt. Claud. in II. de raptu Proſerp. circa principium.

HOS INDISTINCTIS PLEXOS TVLIT IPSE COROLLIS) ideo, ut ipſis, permulſa domus ſuaui fragraret odore. Apul. de cæna nuptiali Horæ roſis, & cæteris floribus purpurabant omnia. ſimulq; ut inde ſerta fierent, quibus redimiti maiores ſolebant conuiuari, ut eſt apud Atheneum, Plutarch. Higinum, Apul. Eraſmum, Claud. Tibullum, Horatium, Ouidium, Iuuenalem & alios.

MNIOSYVM LINQVENS DORIS CELEBRANDA CHOREIS NONACRIIS) penſitatis omnibus, quæ habētur lectionibus, nulli placuit adhærere

in prima uerſus dictione. ego igitur lego

Naiadum linquens claris celebranda choreis

Non uacuus. ita lego, inquam, Virg. ſuffultus auto ritate, qui in Culice ita luſit.

Hic etiam uiridi ludentes panes in herba,
Et ſatyri, Dryadesq; choros egere puellæ
Naiadum cœtu, tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis, ſyluasq; canendo,
Quantum te Peneu remorantem diue choreæ.

quæ dicat Hermolaus in Plin. lib. IIII. *cap.* VIII. *ſcio, ſed non placent. tu ipſe iudicato. nec me ſtatim impudentiæ damnes uelim, ſi tanto uiro non ſuccino, cum & ille fuerit doctiſſimus quidem, ſed homo, & qui ſapientes habiti ſunt, iuxta Columellam, multa ſciſſe, non omnia iudicentur. id quod tamen Barbaro inſcitiæ non auſim aſcribere, ſed incuriæ potius, & nō animaduerſioni, ut de Fab. ſcribit Budeus in Com.* *TEMPE QVAE SILVAE CINGVNT SVPER IMPENDENTES*) *Ouid.* I. *Meth.*

Eſt nemus Aemoniæ præerupta quod undiq; claudit
Sylua uocant Tempe .de ijs loquens Plin. lib. IIII. *cap.* VIII. *Vltra uiſum, inquit, attollentibus ſe dextera, læuaq; leuiter cōuexis iugis. et meminit Plutarch. in Flaminio.*

NANQVE) *probat illud, Non uacuus.*
ALTAS FAGOS) *ſic* Virg. *in* I. Georg. *altaq́; fagus. Pap. in* VI. *Ardua fagus.* & *Polit. in Manto. Patulam procero ſtipite fagum.*
LAVRVS) Apul. *lib.* IIII. *de Aſino. Domus tota lauris obſita, tædis lucida, conſtrepebat hymenæum. adeas Plinium lib.* XV. *cap.* XXX.
VESTIBVLVM VT MOLLI VELLATVM FRONDE VIRERET) *pro foribus arborum ramos affigere mos fuerat. unde Claud. lib.* II. *de raptu Proſerp.*
Alij *prætexere ramis Limina. Pap. lib.* I. *Syl.*
Fronde uirent poſtes. quid autem ſit ueſtibulum, docet Gel. lib. XVI. *cap.* V. *Macrob.* VI. *cap.* VIII. *Ser. in* VI. *ibi Veſtibulum ante ipſum.* & *Marcel.*
POST HVNC CONSEQVITVR SOLERTI CORDE PROMETHEVS) *animaduertendum eſt á Flacco lib.* IIII. *induci Venerem, cum Latona, Dianaq́;, quæ nauigantibus heroibus Promethei ſolutionem precetur á Ioue. Verum quod Catul. ait, magis mihi probatur, cum omnes alij tradant Prometheum pœna liberatum, cum Iouem admonuiſſet, ne Thetide potiretur.*
SOLERTI CORDE) *bene ſolerti. nam*

ſolertia ſua huiuſmodi uincula paſſus eſt. quod ipſe te-ſtatur apud Aeſchylum citante Tul. Tuſcul. II.

Qua miſer ſolertia

Tranſuerberatus caſtrum hoc furiarum incolo.

fabulam autem lege fuſius apud Platonem *in Protago ra.* & *Seruium ecgloga* VI.

SILICI RESTRINCTVS MEMBRA CATHENA) *uinctum fuiſſe in Caucaſi rupe, tradit Curtius in* VII. *ferrea cathena, ut refert Higinus, ubi de Sagitta loquitur.*

Polit. in Nutricia. ſolersq́; futuri

Nondum Caucaſea pendens de rupe Prometheus.

& *ibi ſtetit alligatus ad triginta millia annorum iuxta Aeſchylum, apud quem ipſe inquit.*

Atq́; hæc, inquit, uetuſtis ſæclis glomerata horridis,

Luctifica clades noſtro infixa eſt pectori.

NATISQVE) *cum pater deorum dicatur Iuppiter, natos intelligo, duodecim deos illos, quos Ouid. Meth.* I. *potentes uocat, ſtareq́; dicit à fronte Iouis. eorum nomina, ut eſt apud Var. in* I. *de re ruſti ca.* & *Dionyſium Halicarnas. lib.* VII. *circa finem* & *Manlium in* II. *hæc ſunt. Iuppiter, Mars, Mer curius, Neptunus, Vulcanus, Apollò, Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus. ex quibus ex-cepti ſunt Apollo, et Diana. quanquam aliter de Apol

line ſentit Aeſchylus, *apud quem, citante Plat. in* II. *Dial. de Rep. ad hunc modum loquitur Thetis. Cecinit quidem multa Apollo, fortunasq; meas deo amicas fore prædixit, & lætitia me ſuis laudationibus affecit, atq; ego os Phœbi ſperabam diuinum, ueridicum, fatidicumq; eſſe. ipſe uero idem qui laudabat in menſa & ipſe diſcumbens, ipſe hæc fatus, ipſe idem mihi filium interfecit.* Aeſchylum imitatur Claud. *in præfat. nuptiarum Honorij.*

VNIGENAMQVE SIMVL CVLTRICEM MONTIS ITONI) *ego, etiamſi doctisſimi uiri, hic, ut ſupra, legant Itoni, uel Ithomi de Minerua intelligentes, laudo quam habet Palladius, lectionem, cum & eius ſint ueſtigia in manuſcriptis, nempe. Cultricem in montibus Idæ, accipioq; de Diana dictum, quã apud Cretam coli, uel ſolus teſtis eſt Ouid. circa principium lib.* III. *Faſt. cum ait.*

Pallada Cecropidæ, Minoia Creta Dianam.

quod autem hanc eſſe Catulli mentem, credam, facit, ſequens carmen.

Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt.

QVI POSTQVAM NIVEIS FLEXERVNT SEDIBVS AR

TVS) poſtquam cœlo diſceſſerunt, ueneruntq; ad ſedes Pelei, largæ multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ. per niueas autem ſedes, circulum, qui γαλαξίας uocatur, intelligit. de quo lege Macrob. cap. IIII. lib. I. in ſomnium Scipionis. & Ouid. in I. Meth.
VERIDICOS CANTVS) Horat. in carminine ſeculari.

Voſq; ueraces cecinıſſe parcæ
Quod ſemel dictum eſt, ſtabiliſq; rerum
Terminus ſeruat.

PVRPVREA TALOS INCINXERAT ORA) ſic quidem lego. intelligoq; Parcas ueſtem candidam fuiſſe indutas, quæ tamen ad talos circuitu fuerat intexta purpureo. unde illam ueſtem denotari, quæ prætexta dicitur, coniicio. de qua ſic Bayſius in lib. de re Veſt. cap. X. περιπόρφυρος. *meo quidem iuditio ueſtis dicitur,* ἐξ ἄλλου χρώματος ἐν τῷ περιδρόμῳ ἔχουσα πορφύραν ἐνυφασμένην, *& cuius limbus erat purpureus. id eſt, ut græca uertamus ad eorum utilitatem, qui tantum latine ſciunt, prætexta ueſtis dicitur ex alio colore in circuitu habẽs purpureã intextã.*
AT ROSEO NIVEAE RESIDEBANT VERTICE VITTAE) AETERNVMQVE MANVS

CARPEBANT RITE LABOREM) apud Plat. in X. de leg. circa finem ita ſcriptum eſt. Alias autem tres Neceſsitatis filias æquali inuicem interuallo, in throno ſedere parcas, ueſtibus albis, capite coronato, Lacheſim, Clotho, Antropon, quæ ad ſirenum harmoniam canant. Lacheſis quidem præterita, præſentia Clotho, Antropos uerò futura & Clotho quidem cum matre ſimul intermisſione quadam temporis dextra manu tangentem fuſi extimã circumferentiam uertere, Antropon uero ſiniſtra iterum inferiorẽ ſimiliter, Lacheſimq; deniq; utraq; manu utrinque tangere. Hæc Plato. ad quæ alludentem poetam τὸ rite dixiſſe crediderim, i. iuxta ritus. quomodo exponit Pius illud Flacci in V.

Carmina quin etiam uiſos placantia manes.
Odryſius dux rite mouet. & niueæ uittæ, ſicut ſupra, candida ueſtis. roſeo autem uertice, ad capillos reſpicientem.

LAEVA COLVM) notanda carmina in quibus tam apte nentium ritus exprimuntur, ut uerum illud manifeſto appareat, Poeſim ſcilicet loquentem eſſe picturam ut eſt apud Plutarch. in Hom.

CANDENTIS MOLLIA LANAE VELLERA) eſt frequẽs apud poetas inuenire parcarum fila partim nigro, partim etiam

candido eſſe colore. Horat. in II. *ode* III.
& ſororum Fila trium patiuntur atra. *Ouid. in Ibin.*
Næuit & infauſta ſtamina pulla manu.
Pap. in epith. Stellæ, & Violantillæ.
Ergo dies aderat parcarum conditus albo Vellere.
& Tib. hinc candida fata, appellauit, lib. III. *eleg.* VI. *ſic Catul. hic dixit, candentis lanæ, futuram innuens Achillis fælicitatem. quæ per album colorem denotatur iccirco, quod ſolus, autore Plutarcho Prob.* XXV. *eſt ſyncerus, purus, ac minime inquinatus. ex quo etiam hominem probis moribus, album dicimus, ſicuti contra improbis, nigrum. unde eſt illud Catul. in Cæſarem.*
Nec ſi orem utrum ſis albus, an ater homo.
quod ex Fabio ita emẽdat Beroaldus in centũ Annot.
TALIA DIVINO FVDERVNT CARMINE FATA). *Plutarch. in Euagora. Peleus cum in pugna contra centauros ſtrenue dimicaſſet, multiſq; alijs bellis, atq; periculis probatus eſſet, Thetida Nerei filiam immortalem, quanuis ipſe mortalis, uxorem meruit, atq; ex omnibus quæ ante fuere, ſolum in iſtis nuptiis Hymeneum deos cantaſſe ferunt. Theonis Sophiſta in Progym. in præmium caſtitatis dicit Peleo coniugem Thetida deos conceſſiſſe. Seneca in Octauia. actu* IIII. *Talis egreſſum freto*

ſpumanti

Spumanti Peleus coniugem accepit Thetim,
Quorum thoros celebraſſe cæleſtes ferunt,
Pelagiq; numen omne conſenſu pari. tale autem carmen uocat Amabæum Alex. ab Alex. lib. Genialium dierum II. cap. V. quod an uerum ſit, iudicabit quicunque Seruium legerit in III. eclog. ibi.

Vis ergo inter nos qd poſſit uterq; uiciſſim. & ibidē.
Alternis dicetis. Amabæi etiã meminit eclog. VII. ibi
Et cantare pares, & reſpondere parati.

O DECVS EXIMIVM MAGNIS VIRTVTIBVS AVGENS AEMATHIAE COLVMEN PELEV) ordo eſt. o Peleu columen Aemathiæ augens decus eximium etc. ſic ſupra eundem uocauit Theſſaliæ columen.

CVRRITE DVCENTES SVBTEGMINA CVRRITE FVSI) hinc Maronem effinxiſſe illud ex V. ecloga.

Talia ſæcla ſuis dixerunt currite fuſis. docet Albinus in VI. Saturnal. Macrobii cap. I. eſt autem uerſus intercalaris, ſic dictus quod frequenter poſt aliquantulos uerſus interponitur. ſicut intercalares dies, aut menſes uocantur, qui interponuntur, ut ratio Lunæ Soliſq; conueniat. Ser. ecloga. VIII.

CVRRITE) ἐπιμονῆ.

ADVENIET TIBI IAM PORTANS OPTATA MARITIS HESPERVS) *Plutarch. in Prob. quæſt.* LXIIII. *ſponſum ſcribit ſponſæ ſolitum non iungi luce. ſed tenebris, quia pudet, quòd antequam coeat alienam putet. ad quod nunc, & aliâs alludit Catul.*
MENTIS PERFVNDAT AMOREM) *id eſt ex animo amet. ſic in nupt. Manlij, & Iuliæ.*

Mentem amore reuinciens, pro eo q̃ dixit Hom. ἐν φιλότητι μιχθεὶς

LEVIA SVBSTERNENS ROBVSTO BRACHIA COLLO) *Ouid. in* III. *Amorum eleg.* VI.

Illa quidem noſtro ſubiecit eburnea collo
Bracchia Sithonia candidiora niue.

Tib. lib. I. *eleg.* VIII.

Huic tu candentes humero ſuppone lacertos
Et magnæ regum deſtituantur opes. *ubi Veronenſis ſuppone, id eſt ſupra extēde, interpretatur, cum ſubijcere ſignificet.*

NASCETVR VOBIS) *laudatus filius, & in filio parentes. quia naſcendi ratio per parentes prouenit. horum felicitas eſt, ſi præcipuos ſuſcipiant liberos.*

NOTVS) ita accipe, ut dicat Catul. Naſcetur Achilles, & tunc cum natus fuerit, expers terroris, et notus erit in bello. nam Parth. hoc in loco non ſatisfa cit; quòd autem non tergo, ſed forti pectore, dixit: ſignum eſt fortitudinis. ſic laudatur Sicinius ille Dentatus apud Gel. lib. II. cap. XI. quòd ex tantis pugnis cicatricem auerſam nullam, aduerſas quinque & quadra ginta tulerit. unde Romanus Achilles appellatus eſt.

FLAMMEA PRAEVERTET CELERIS VESTIGIA CERVAE) alluſio eſt ad illud Hom. πόδας ὠκὺς ἀχιλλεύς. id eſt pedibus celer Achilles. ὠκὺς enim uel ταχὺς, cognomen ſpecialiter Achilli poſitum eſt à facto, id eſt à pedum uelocitate, ut eſt apud Diomedem lib. I. cap. II. & Theonem ἐν ἐγκωμίῳ ἀχιλλέως. pedum etiam uelocitate laudari Alexandrum legimus apud Plutarch. in lib. priore de Alex. Fort. & Virt. cui cum Briſon, qui cum in curriculo de pernicitate certabat, conſulta tarditate blandiens uiſus eſſet de ſuo iure diſceſſiſſe, uehementer indignatus eſt. autor idem Plutarch. in lib. de Tranquillitate animi.

CELERIS CERVAE) ſic Pap. in VI.

Narratur ceruas pedes inter aperta Lycei
Tollere, & emiſſum curſu deprendere telū. ubi etiam

celeres cerui dicuntur, & à Lucret. in VI. *alipedes & dixit Ouid. Meth.* I.

Crura nec ablato proſunt uelocia ceruo. hinc Virg. in VI. *ceruam æripedē dixit, & in opuſculis. & Clau. ad Florentinum. Non ceruā uolucres eripuere pedes*

FLAMMEA) nil igne uelocius propter leuitatem. Stat. in VI. *Ocior & patrio uenit igne.*

PERIVRI PELOPIS VASTABIT TERTIVS HAERES) Agamemnonem intelligit. eſt enim in II. *Iliad. Mercurium Pelopi dono dediſſe ſceptrum, quod Vulcanus fabrefecerat. Pelopem uero Atreo. Atreum Thyeſti. Thyeſtem deniq; Agamemnoni. quem Propert. lib.* IIII. *eleg.* VII. *Pelopeium uocat à Pelope progenitore. qui & Seneca in Troade ſæuus dicitur.*

CVM IN CINEREM CANOS SOLVENT A VERTICE CRINES) ſolebant antiqui in funere propinquorum deciſos capillos igni dare comburendos. id quod feciſſe Achillem et alios Græcos in funere Patrocli ſcribit Hom. lib. Iliad. XXIII. *apud Senecam Phædra actu* V. *ait.*

Placemus umbras; capitis exuuias cape
Laceræq; frontis accipe abſciſsam comam.

Pap. lib. VI. *tergoq; & pectore fuſam*
Cæſariem ferro minuit; ſectisq; iacentis
Obnuit tenuia ora comis. *ubi Cæſaries, uel refragante Lactant. pro coma poſita eſt. Ouid. in fabula Narcisſi. in.* III. *Meth.*
Et ſectos fratri impoſuere capillos.
& in Canaces epiſtola.
In tua nec tonſas ferre ſepulchra comas. ubi antiquũ morem ignorans fortaſſe Hubertinus, nec tonſas, id eſt longas interprætatus eſt. cum ſit ordo. *nec licuit ferre comas tonſas etc. idem fieri ſolitum in ſacrificijs* ex *Homero ſcribit Dionyſius circa finem lib.* VII.
NANQVE VELVT) *apta comparatio, qua fortitudo* Achillis *oſtenditur.*
SOLE SVB ARDENTI) *tali hemiſtichio utitur* V*irg. ecloga.* II.
TESTIS ERIT MAGNIS VIRTVTIBVS VNDA SCAMANDRI) *rem notat, quæ eſt apud Hom. in* XXI. Odys. *eam latius ibi leges. de Scamandro autem, qui & Xanthus dicitur, adeas Strabonem lib.* XIII.
DENIQVE TESTIS ERIT MORTI QVOQVE REDDITA PRAEDA) *uide Euripidis Hecubam. &*

Ouid. in XIII. *Meth.*

QVVM TERRÆ EXCELSO COACERVATVM AGGERE BVSTVM) *de Achillis tumulo ita Hom. in* Odyſ.

Ἀμφ' αὐτοῖσι δ' ἔπειτα μέγαν καὶ ἀμύμονα τύμβον
χεύαμεν ἀργείων ἱερὸς στρατὸς αἰχμητάων
Ἀκτῇ ἐπιπρουχούσῃ ἐπὶ πλατεῖ ἑλλησπόντῳ,
Ὥσκεν τηλεφανὴς ἐκ ποντόφιν ἀνδράσιν εἴη
τοῖς οἳ νῦν γεγάασι, καὶ οἳ μετ' ἄπισθεν ἔσονται. *id eſt*

Iuxta hæc autem & præſtantem tumulum
Effudimus græcorum ſacer exercitus armatorum
In littore excelſo in lato Helleſponto,
V*t procul lucens ex ponto ipſis uiris ſis,*
E*t qui nunc uiuunt, & qui poſt erunt*.

ACCIPIAT CONIVX FAELICI SYDERE DIVAM) *tangit morem antiquum. ſcribit enim Cicero in* I. *de Diuinat. Romanos cauſa boni hominis omnibus rebus agendis, quod bonum, fauſtum, fælix, fortunatumq; eſſet præfari ſolitos. Tranquil. in Domitiano. In redeunda poſt diuortium uxore acclamari audiit libenter domino, & dominæ fæliciter. huc tendit illud Iuuenalis in* II.
Signatæ tabulæ: dictum fæliciter. quod etiam innuens Agricola ad Ioãnem Rhorcenſem Audio, *inquit,*

duxiſſe te uxorem, quod ut fœlix, fauſtumq́; tibi ſit, eueniatq́;, uotis omnibus precor.

PRAESENTES NANQVE ANTE DOMOS) *ſic Oriotem legimus apud Higinum, Iouem & Mercurium hoſpitio ſuſcepiſſe. Tantali etiam conuiuium non ignoratur. nec inops pauperq́; uoluntas Daucidis, & Philemonis. Caſtoris & Pollucis apud Regillum bello latinorum auxilium. de quo, & alijs uide Ciceronem in principio. II. de natura deorum. nec diſplicebit, ſi leges. D. Chyſoſtomus in II. Homilia in Geneſeos cap. I. circa principium. Parrhaſius in illud ex arte poetica Horatij*

Placari Genius feſtis impune diebus.

id refert ad Genios.

ANNVA SACRA) *nullo modo de Olympicis ludis, cum Parth. poteſt intelligi, tum quia quotannis non celebrabãtur, tum quia Catul. in Rom. rebus perſtat. quare Circẽſes accipio, ex ſequẽti uerſu.*

Proſpexit terra centum percurrere currus. nam & Virg. in principio lib. Georg. III. inquit.

Illi uictor ego, & Tyrio conſpectus in oſtro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina urrus

ubi lege Ser. Capitolinum autem Iouem intelligit.

SAEPE VAGVS LIBER PARNASI VERTICE SVMMO)

Lucanus lib. V.

Heſperio tantum, quantum ſummotus Eoo
Cardine Parnaſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromioq; ſacer: cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

quomodo autẽ Iuppiter Parnaſum inuenerit eſſe totius umbilicum, luculentisſimis uerſibus docet Claud. in prologo in Paneg. Manlij.

FVMANTIBVS ARIS) *Virg. etiã in Tytiro dixit. altaria fumant. cum Ouidio in Penelope, & alibi. iuxta antiquum morem. ſolebant enim illi ſacrificantes animaliũ carnes, ut ſcribit* Apol. *Scholiaſtes, omentis inuoluere, igniq; poſt modum imponere ex naſcente illinc fumo deos placari credentes. unde eſt illud Hom. apud Plat. in* II. *de Repub.*

Sunt faciles ſuperi: precibus flectuntur: & iidem
Sacrorum nidore pio placantur. Apol. *lib.* I.

κάδδ' ἀμυδὶς τάγε πάντα καλύψαντες πυκα δημῷ
καῖον ἐπὶ σχίζῃσιν. *id eſt*

Atq; ſimul omnia occultantes denſe pinguedine
Combuſſerunt ſchyzis. *meminit etiam Heſiod. Hom. Herod. in Euterpe. & Euthymius in pſalmũ* C X. *in templo ſcribens olim fuiſſe altare quod aureũ uocabatur, in quo incenſum adolebatur, & gratisſimus inquit, Deo eſſe uidebatur is uapor, qui illinc aſcendebat, eo*

bat, eo quod odoratiſſimus eſſet. autor eſt etiam Euſebius lib. I. de Euangelica præparatione, ueteres illos ætatis aureæ ex herbis integras quaſdam ſumentes cum foliis, radicibus, ac fructu ſimul concremare ſolitos, & ex hac exhalatione, ac fumo cæleſtibus litare. ex qua euaporatione græcis θύσια *ſacrificium dicitur, hinc Ouid. in XII. Meth. dixit.*

Cuius ut impoſuit proſecta calentibus aris
Et dijs acceptus penetrauit in æthera nidor.

& Seneca in Hercul. furenti. actu. IIII. cæcutiente Marmita. Pinguis exudet uapor. nec aliud uoluiſſe Maronem cenſeo. cum ecloga VIII. ſic ait.

Verbenasq; adole pingues. & Catul. in Gel.
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

RAPIDI TRITONIS HERA

Pallada ſignificat, quam iccirco Tritonis heram appellat, quod apud illum ſit genita. Pomp. Mela lib. I. cap. IIII. ſuper hunc, inquit, ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis, unde & Mineruæ nomen inditum eſt, ut incolæ tradunt, ibi genitæ, faciuntq; ei fabulæ aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris uirginum inter ſe decertantium celebrant. uide etiam Diod. lib. IIII. & VI. Plinium in V. cap. IIII. Solinum cap. XXXVII. & Apol. Scholaſtem in illud lib. I.

Αὐτὴ μιν τριτωνίς. *unde Hom. quoq; in hym. eam uocat* τριτογενῆ ἠώς, *inquit Euſtath. in Hom. Odys.* ἐκ τριτοῦς κατὰ κρῆτας ὅ ἐστι κεφαλῆς τῆς, τοῦ διὸς γεννηθεῖσα. ἢ ὡς ἐν τρίτῃ μηνός. ἢ ἐκ τρίτωνος λιβυκοῦ ποταμοῦ.

RHAMNVSIA VIRGO) in Rhamnō nobili terræ Atticæ uico fuiſſe Nemeſeos ſtatuā traditum eſt Straboni in IX. repetitumq; Leonico lib II. de Varia hiſtoria, cap. XXVIII. & Io. Tzetze Chil. VIII. hiſt. 154. unde Nemeſim hic, in de coma Berenices; & in elegia ad Manlium poſſumus intelligere; Rhamnuſiam ideo cognominatam, quod in Rhamno coleretur, de qua legimus Antimachi epigramma apud Strab. lib. XIII.

Eſt dea quā Nemeſin uocant: dea magna potensq;
Quæ bona cæleſtum conceſſu cuncta deorum
Poſſidet, huic primus ſacratam condidit aram
Fluminis Aeſapi gelidas Adraſtus ad undas.
Atq; ibi nunc colitur, ſeruatq; Adraſtia nomen.

Catul. de Nemeſi ad Licinium.

Eſt uehemens dea: ledere hanc caueto. de hac extat Orph. hymnus. ubi uocat. θεὰν βασίλειαν μεγίστην. *omnia uidentem, oīa que audientem, & omnia gubernantem & Plato in IIII. de leg. Omnibus, inquit, præpoſita eſt Nemeſis iudicij angelus, huiuſcemodi omnium conſideratrix. eam deſcribit Polit. in Manto. ſcribit etiā*

Plutarch. in lib. de iis qui tardè à numine corripiuntur. Adraſtiam eſſe neceſsitatis, ac Iouis filiam, uindicem ſcelerum accerrimam, ſummo conſtitutam loco quam nemo flagitioſus, neq; magnus, neq; paruus ui, aut clã effugere poſſit. addit Pomp. Lætus in cõpendio Ro. hiſt. eam uictricem à Romanis appellatam. unde Nemeſim, inquit, non fruſtra inuocabant. Romani enim ſemper iuſta mouere arma; cæteræ autem nationes, odio, & maleuolentia, liuoreq;, quòd imperium tantæ urbis iuſtitia augeretur tela in populum Ro. capiebant.

FINIS COMMENTARII.

EIVSDEM REALINI IN VARIA SCRIPTORVM LOCA ANNOTATIONES.

MVLTA euoluiſſe, legiſſe multa, atq; omnem deniq;, ut eſt in adagio, mouiſſe lapidem, cum neceſſe eſt DOMINE R.me qui magnum Annotatoris nomen adimplere cupiat. id quod, etiam ſi mihi non arrogo, uti qui eam ago ætatem (annum ſiquidẽ XXI) in qua nec perfectum, quo eſt opus, haberi ſolet iudicium, nec omnia uidiſſe contingit nolui tamen quod in re mea fuerat, prætermittere, pro uiriliq; in illud animum non intendere, in quo candidis rei literariæ ſtudioſis propẽ ſum animi mei indicarẽ affectum, operam meã qualis qualis ſit, eis non denegans. ſimulq; ut ex præcepto Plinij, aliquid relinquerem, quo me uixiſſe teſtarer. Quare illos mihi æquos deſidero, ſi inconditum quicquam offenderint, nec multo ſale illitum; necnon obſecrare, obteſtariq; non deſino, ut candido pectore noſtra legant, ſi modo hæc aliquis captus amore leget. in quibus ſi non iudicium, & doctrinam, at cer-

te, ſpero, laudantes induſtriam, conatumq́, et iuuandi (quod à Platone docemur) uoluntatem noſtri nominis famam contra acerbos inuidorũ morſus totis uiribus credo tutaturos. quod quidem tantum abeſt, ut dubitem, ut etiam certo ſciam, uel me tacente, eos non defuturos, præclari nominis tui allectos dignitate, ſub cuius fœlici auſpicio & has Annotationes in publicũ exire uolui, quæ quidem ſi tibi probabuntur, & reliquis non diſplicituras confido.

Quod ſi deficiant uires, audacia certe
Laus erit, in magnis nam uoluiſſe, ſat eſt.

ELVCIDATVS TIBVLLI LOcus adductaq́; ex græcis non triuialia. cap. I.

SCribit doctiſſimus Iſaacius in illud tenebroſi Lycophronis in Caſſandra.

δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. conſueſſe uates lauri folia comedentes uaticinari, tanquam huiuſce arboris & aſpectu, & odoratu delectatus Apollo, ipſis uaticinii artem non neget. eius uerba, nequis deſideret, appoſui. Ληροῦσι δὲ, inquit, ὅτι οἱ μάντεις δάφνας ἐσθίοντες ἐμαντεύοντο, ἵνα καὶ τῇ ὀπωτῇ καὶ τῇ ὀσφρήσει γανύμενος ὁ θεὸς ἀντιδιδῶσιν αὐτοῖς τὰς θεοπρεπίας χαίρων. ἅ τινα ἡ ἱστορία ἡμῖν δηλώσει. narrat aũt amores Phœbi in Daphnẽ et addit ὅθεν ληροῦσιν, ὅτι καὶ οἱ μάντεις διὰ εὐφροσύνην Ἀπόλλωνος δάφνας ἤσθιον. καὶ ταῦτα μὲν τὰ ληρώδη, καὶ μυθικά. τὸ δὲ ἀληθὲς οὕτως ἐστιν. οἱ χρησμολόγοι καὶ μάντεις στεφάνους δάφνης φοροῦντι, ὡς ἀειθαλοῦς ὄντος τοῦ φυτοῦ, καὶ ἀλεξικάκου, καὶ οὕτω τοῖς χρήσουσι τοὺς χρησμοὺς λέγοντες, καὶ λαμβάνοντές τι ἐξ αὐτῶν, καὶ οὕτω διατρεφόμενοι, εἰς μῦθον ἐτέθησαν, ὅτι δαφνηφάγοι εἰσὶν, ἤτα ἐκ τοῦ στεφανοῦσθαι δάφνῃ ἢ λέγειν χρησμοὺς ἔχουσι τὰς τροφάς. id eſt. ex quo uates fabulantur propter delectationem Apollinis lauros comedere. ſed hæc quidem nugæ ſunt, & fabulæ. at illud uerum. quod uaticinantes laureis ramis coronari ſolebant, quoniam ſemper ſit uiridis planta, & mala auertat. atq́; hæc oracula petentibus, perſuadentes, aliquid ex ipſis lucrabantur. unde illinc aucti, fabulati ſunt, lauros comedere, uel quod lauro coronarentur, uel uaticinia dicerent ijs qui ali-

menta ipſis præberet. Ex ijs elucidatur Tibulli illud ex lib. II. eleg. VI. loquente Sybilla.

Vſq; adeo ſacras innoxia laurus Veſcar. id eſt caleam uaticinandi ſcientiam. quod quidem hactenus, qui declaret, inueni neminem. huc fortaſſe reſpexit Claud. dum in II. de raptu Proſerp. Veturi preſciam Laurum uocat. & in paneg. fatidicam. quãquã Tib. dicit lib. II.

Vt ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix & ſacer annus erit.
Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni,
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

niſi malis eum ſequi quod ſcripſerunt. Antiphon Philocrus, Artemon, & Serapion Aſcalonites, Laurũ ſi dormientibus ad caput poſueris uera ſomnia eſſe uiſuros, cuius rei meminit Fulgentus lib. I. ubi agit de Lauro.

DECLARATVS. TIBVLLI LOcus, *oſtenſaq; fabula non uulgaris. cap. 2.*

EIuſdem elegantis, & terſi poetæ uerſus ij ſunt lib. II. eleg. III.

Pauit & Admeti tauros formoſus Apollo,
Nec cythara, intonſæ profuerunt ue comæ.

in quibus excuſat ſe poeta, ſi ruri habitare, quo &

amica ſua commigrauerat, non erubeſcit, excuſat, inquam, exemplo Apollinis, qui amoris cauſa indecorum ſibi non duxit, in Admeti *gratiam, cuius amore tenebatur, in Theſſalia boues paſcere. qui ſenſus ut pro genuino habeatur, eoq; qui Tibullianum candorem redoleat, facit eiuſdem ſequens* carmen.

Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis,
Quicquid erat medicæ uicerat artis amor.

& aliud infra.

Delphos *ubi nũc* Phœbe *tua eſt, ubi* Delphica Pytho
Nẽpe amor in parua te iubet eſſe caſa. (*quem ĩ locum poſtquam incidimus, admonendi ſunt lectores,* per *ne pro* Pytho, *quod docuit Parrhaſius in Claud. ibi cum interpræte, & græci* Lexiconis *authore, ſerpentem illum accipiant, de quo eſt fabula apud* Ouid. *in* I. *Met. ſed in Phocide ciuitatem, in qua* colebatur *Apollo, teſte* Orph. *in hymnis.* Apol. *in* I. *eiuſq; interprete, & Iſaacio.*) *ſed & lib.* III. *elegia* III. *idẽ poeta* Apollinem *amore* Admeti *ductum paſtoris ſeruitium non recuſaſſe cecinit fuſius. nec negat* Ouid. *apud quem* Oenones *inquit.*

Ipſe repertor opis uaccas pauiſſe Pheræas
Fertur, & à noſtro ſaucius igne fuit.

& in II. de Arte.

Cynthius admeti uaccas pauiſſe Pheræas

Fertur

Fertur & in parua delituiſſe caſa.

Quod Phœbum decuit, quẽ non decet? exue faſtus
Curam manſuri quiſquis amoris habes. & in II. *Meth.* cæcutiente *Raphaele.*

Dunq; amor eſt curæ; dum te tua fiſtula mulcet. accedit *Plutarchi grauisſimi ſcriptoris autoritas, qui ad hunc modum in Numa latine loquitur. Phorbantem, Hiacinthum,* Admetum *ab* Apolline *amatos fabulantur.* & in I. *Inſt. diuinarũ cap.* X. *Quid* Apollo *pater eius, inquit Firmianus, nonne ob amorem, quo flagrauit, turpisſime gregem pauit alienum? nec ſilentio inuoluenda ſunt Senecæ carmina, hæſitante etiam ibi Marmita. ea ſub chori perſona, cum de* Amoris *potenti ageret imperio, hæc ſunt in Hippolito.*

Theſsali Phœbus pecoris magiſter
Egit armentum, poſitoq; plectro
Impari tauros calamo uocauit. ex *quibus luce fit clarius, ob amorem, huiuſmodi uſum fuiſſe* Apollinem *miniſterio. id quod etiã ſi negent* Orph. *Euripides. Diod. Euſeb. Flac. Pap. Seruius, Placidus, & alij, qui icirco eum dicunt uaccas pauiſſe pheræas Ingrato Steropem quod fuderit arcu. nihil tamen prohibet Tibullum alios ſecutum autores, Callimachum fortaſſe, alteram propoſito ſuo conuenientem cauſam aſſignaſſe. Illud abſurdum nõ fuerit addere, qđ ex Pindaro ſcri*

bit Septimius contra gentes cap. XIII. *Aeſculapium ſcilicet auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exer ceba t fulmine iudicatum. Nec dictam fabulã à Placiade (ut putauit Philomuſus) ſignificari, cũ ait ĩ præ fat. lib.* I. *Et ſol fulgoris igne depoſito malit anilibus exarari rugis quã radijs. ſed eam tangi quæ ab Ouid. narratur in* IIII. *Meth.*

APVD OVIDIVM DEMONSTRA *ta abſtruſior hiſtoria, & quòd ſint utiles relaxationes. cap. 3.*

HErodotus pater hiſtoriæ, ut eſt apud Ciceronem in I. de Leg. quemq; dulcem, & candidũ, ſed fuſum uocat Fabius in X. cap. I. pulchram narrat de Amaſide Aegyptiorum rege hiſtoriam, ea eſt in Euterpe circa finem ad hunc modum.

Ab Aurora uſq; dum refertum eſt forum, accurate negocia, quæ expediebant, agebat, deinde potabat, & inter compotores iocabatur, morionem agens, & ſcurram; quibus rebus offenſi amici, talibus eum uerbis caſtigabant, Rex dicentes, non è dignitate tua degis, qui ad tantam te demittis nequitiam. nam deberes auguſto in ſolio ſedẽs auguſte interdum res adminiſtrare. ita enim Aegyptij cognoſcerẽt magnum ſibi uirum præſidere, & tu melius audires, nunc haud quanquam

facis è regia dignitate. His ille reſpondit, Arcus ab ijs, quorum ſunt, cum eſt opus intendi, eos ſi ſemper intenti ſint, ruptum iri, nec poſſe ijs cum indigeant, uti ita & hominis inſtitutum ſi aſſiduo laborare ſtudio, nec ullam partem ad luſum ſibi indulgere uelit, fore ut pedetẽtim aut captus ſit mente, aut membris. quod ego intelligens utriq; rei tempus impertio. hactenus ille. quam hiſtoriam innuens non minus doctè, quam eleganter Ouid. in Heroid. loquẽte Phædra ſic cecinit.

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.
Hæc reparat uires, feſſaq; membra leuat.
Arcus & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si nunquã ceſſes tendere mollis erit. *Et certè utiles eſſe remisſiones, tradidit pluribus in locis Galenus, nec negat Quintil. lib. I. & Socratem legimus iudicatum Apollinis oraculo ſapiẽtisſimum, relaxandi animi gratia, pedibus cana interpoſita, cum pueris luſiſſe. & ſaltaſſe quandoq; ut apud Xenophontem refertur in Sympoſio. eũdemq; ſolitũ dicere, eſt in III. Apoph. otium omnium poſſesſionum, eſſe optimam. ſi quidem otium appellabat nõ ignauiam, ſed à tumultuoſis negotiis, & à cupiditatibus animi tranquillitatem uicianti bus, quietem. Scribit enim Val. Max. lib. V I I. cap. V I I I. alterum eſſe otium quo uirtus euaneſcit, alterum quo recreatur. quod ſecutus Pap. in I I I I. Syl. di-*

xit. Maior poſt otia uirtus, et Auſonius *ad Paulinũ.*

Grato ſchola nomine dicta eſt

Iuſta ſalutiferis tribuantur ut otia muſis. hinc, Lelium & Scipionem adeò repueraſcere ſolitos, narrat Bẽdinellius in uita Scipionis Minoris, ut conchas & *umbilicos ad Caietam, & Lucrinum legere, & ad omnem animi remisſionem, ludumq; deſcendere conſueuerint. Catonem etiam* V*ticenſem quandoq; ebrietati indulſiſſe, autor eſt Plutarch. in uita. Plin. in* III. *Epiſt. & Horat.* Ode XXI. *lib.* III. *nec non Socratem ſcribunt Plato, & Xenophon in Sympoſiis. hinc* Cor. *Gallus in* I. *Elegia.*

Hoc quoq; uirtutum quondam certamine magnum
Socratem palmam promeruiſſe ferunt.
Hinc etiam rigidum memorant ualuiſſe Catonem:
Non res in uitium, ſed malè facta cadunt.

& Lygurgum legitur ſignum γελωτι *deo, id eſt Riſui colloca ſſe, ſicut etiam Theſſalos ſcribit* Apul. *in* II. *Meth. ei rem diuinam facere; quod utilisſimum iudicaret, inquit, Eraſmus, modeſtis facetiis animorum uigorem recreare. reminiſci enim oportet, docente Plutarch. in lib. de liberis educandis, noſtram omnem uitam in remisſionem, ac ſtudium eſſe diuiſam. quocirca non uigiliam modo, ſed etiam ſomnum eſſe repertum non bellum ſolum, ſed & pacem, non hiemem, ſed tran*

quillitatem, non operoſos, ſed feſtos etiam dies. Seneca in prologo lib. I. Declam at. Omnibus prodeſt ſubinde animum relaxare. excitatur enim otio uigor, & omnis triſtitia, quæ continuatione pertinacis ſtudij adducitur, feriaq; hilaritate diſcutitur. Demonico et præcipit Iſocrates, ut firmet ſe exercitationibus corporis. qđ inquit, aſſequeris, ſi deſinas laborare, tolerando adhuc labori ſufficiẽs. unde Agricola ad Langiũ.

Laxanda mens eſt, nanq; rupi
Quæ nimium rigeant, uidemus.

Quapropter (ut cũ Matij Miniambis finiamus)

Edulcare conuenit uitam,
Curasq; acerbas ſenſibus gubernare.

IVVENALIS LOCVS, ET *alia ſcitu digna.* cap. 4.

E*A fuiſſe Licentia Catonem legimus; ut quęcunq; procacibus, intemperantibusq; moribus uidiſſet, uel publice reprehenderet, & caſtigaret, adeo erat rigidi ſeruator honeſti, ut ait in II. Lucanus. ex quo rigidum eum uocat Boeth. in II. de Conſolat. et alij & ut eſt apud Saluſt. in Catil. Catoni ſeueritas dignitatẽ attulerat. hinc eſt illud Martialis in præfat. lib. I. Non intret Cato in theatrum noſtrum. quaſi res ſit ſcripturus parum boneſtas, obſcenasq;, nec dignas*

grauitate, integritateq; Catonis. idem in X. Tunc me uel rigidi legãt Catones: & XI. precatur ut triſte ſupercilium, duriq; ſeuera Catonis frons eat foras. ſcita eſt illa Ciceronis ſuſpiratio, cuius meminit Plin. in prologo natur. hiſt. O te felicem M. Porti à quo rem improbam petere nemo audet. Plutarch. in Polit. de Catone. mordebat, inquit, dictis ſæpe. quod repetit in Phocione. eundemq; lingua ad uituperandum promptiore tradit Florus lib. 49. unde Seneca in prologo lib. I. Declamat. Et quem tandem antiſti tem ſanctiorem inuenire ſibi diuinitas potuit, quam Catonem, per quem humano generi non præciperet, ſed conuitium faceret. & Cato ipſe apud Plutarch. in Lucullo, ad eum qui de modeſtia, & parcitate orationem ageret, Tacebis ne, inquit, hodie diues ut Craſſus, uiuens ut Lucullus, loquens ut Cato? Huc itaq; reſpiciẽs Iuuenalis Laroniam fœminam inducit urbane, eum qui dixerat, Vbi nunc lex Iulia dormis. inſectantem, Romanos admonere, ut pudorem habeant, ſeq; à peccatis abſtineant, tanquam Cato iterum ex cælo deſcẽderit adulteriorũ, in quæ lata fuerat lex Iulia, ut eſt in fine Inſt. ciuilium, accerrimus repræhenſor, quiq; haud facile alterius libidini malefacta condonaret, & cum uitijs bellum gereret, ut ait Eraſmus, pudorem autem dixit, reſpiciens Catonis inte-

gritatē, quo ſciente peccata eſſe pudori debebāt. Apul. laudans eos. illum in II. Florid. Nullo, inquit, niſi tuo anno, ad coercenda peccata plus pudor, quam timor ualuit. Iuuenalis uerba hæc ſunt ex Saty. II.

Fælicia tempora quæ te
Moribus opponunt, habeat iam Roma pudorem.

Tertius è cælo cecidit Cato, quo in loco animaduerſione dignum eſt ēt, cum de cælo uenire dici, qui uirtute, prudentia, & moribus ſit præſtantiſſimus, autore Gel. lib. XV. cap. XXI. Præterea ſcriptum reliquit Minutius Felix in eo libro qui Octauius inſcribitur. qui repentino aduenerint, & inopinatos, de cælo cecidiſſe dici. quod refert etiam Tertul. in Apolog. cap. X. qua in ſignificatione accipiendum eſt illud Albij poetæ, nō animaduertente Veronēſi, lib. I. eleg. III.

Tunc ueniam ſubito; nec quiſquam nunciet ante,
Sed uidear cælo miſſus adeſſe tibi. quaſi dicat inopinatus, nec te unde ueniam intelligente.

QVAE ESSENT SATVRNI *Leges, elucidatusq; Ouidij locus. cap. 5.*

INter græcos Callimachi poetæ luculentiſſimi hymnos, extat & hodie unus, qui εἰς λουτρὰ τῆς παλλάδος *īſcribitur. in eo legimus Saturni*

lege cautũ, ut quicunq; mortalis immortalem iniuſſu ſuo aſpexerit, pœnas ingenti mercede luat. ipſius carmina reticere piaculum duxi.

Οὐ γὰρ ἀθαναίαις γλυκερὸν πέλει ὄμματα παίδων
Ἁρπάζειν. κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι.
Ὅς καί τιν' ἀθανάτων ὄκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται
Ἀθρήσῃ μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

quæ quidem mirifice uertit Polit. in Miſcel. cap. 79.

Nam pueris auferre oculos, haud dulce Mineruæ,
Verum Saturni legibus hoc cautum eſt.
Vt quicunq; deum aſpiciat, niſi iuſſerit ipſe,
Mercede ingenti ſcilicet aſpiciat.

has leges innuens eleganter, & docte, ut ſolet, Ouid. in II. Triſt. ſic queritur.

Cur aliquid uidi, cur noxia lumina feci,
Cur imprudenti cognita culpa mihi?
Inſcius Actæon uidit ſine ueſte Dianam,
Præda fuit canibus non minus ille ſuis. & alibi.
Inſcia quod crimen uiderunt lumina, plector,
Peccatumq; oculos eſt habuiſſe meum. tanquam

uidiſſet quæ non cernere fas homini. ſcribit etiã Placidus in II. Theb. ibi.

Tunc ſi fas oculis non unquam lõga tuendo.

Mortalibus conceſſum non eſſe uidere cælicolas, ut eſt quoq; apud Plutarch. in Parallelis. ad quod reſpexiſſe Virg. placet Seruio, cũ ſub perſona Sileni dixit

ecgloga

ecgloga V I. Satis eſt potuiſſe uideri.

DE FEBRE QVARTANA *declaratusq́; Ciceronis locus cap. 6.*

PLatonem illum, cuius matrem Peritionem phantaſmate Apollinis compreſſam ex Anaxalide refert Hieronymus lib. I. contra Iouinianum, cap. XXVI. ueluti ſapientiæ futurum principem; ſcripſiſſe dixit Phauorinus, teſtante Gellio lib. X V I I. cap. X I I. qui quartanam paſſus fuerit, & conualuerit, uiresq́; integras recuperauerit, fidelius, conſtantiusq́; poſtea ualiturum. hinc Cicero ad Tironem lib. ultimo, epiſt. X. Sed quando, inquit, in quartanam conuerſa eſt uis morbi, ſpero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore. ad ſententiam nempe Platonis, quem εἴδωλον habuit, reſpiciens, firmiorem dicentis, poſt quartanam fieri ualetudinem. cuius rei rationem aſsignant medici quod ſcilicet in ea propter longitudinem (eſt enim febrium longisſima, ſed minime periculoſa autore Gal. in I. de Arte Curat. ad Glauconem) pituitoſi reſoluũtur, & melancholici humores, quibus ipſa cõſtat. etenim putredo melancholiæ, inquit Auicenna lib. I I I I. Fen. I. Tract. I I. cap. I. facit quartanam. quæ autem diligentia ſit in huiuſmodi febribus adhibenda, docent, ut alios omittam, Ariſt. in Prob. Sect. I. quæſt. 57.

& Gal. loco citato. Hæc miror doctiſſimos homines, qui in eas epiſtolas Obſeruationes condiderunt, non animaduertiſſe, præſertim cum maxime conducāt ad ſenſum Oratoris percipiendum, nec recondita nimium ſit opus doctrina. ſed quandoq; bonus dormitat Homerus. nec omnia poſſumus omnes. ita etiam ut multa ſint egregijs ingenijs propter diuerſas eorum occupationes condonanda, ſi quandoq; cæcutiant.

LOCVS EX EPISTOLIS CELII declaratus, & alter Saluſtij. cap. 7.

ALius eſt ſimilis locus in epiſtolis Celij, lib. VIII. Epiſtola VI. ad hunc modum. Neq; enim ſtultè Appius, qui ſimul atq; Dolabella acceſſit ad tribunal, introijerat in urbem, triumphiq; poſtulationem abiecerat. cuius loci illa eſt ſententia, ut laudet Celius Appium, qui cum à Dolabella ſe accuſari cognouiſſet, relicta triumphi, quem conſecuturus erat, ut patet ex nona epiſt. lib. III. poſtulatione, ut propelleret falſas inimicorum calumnias, urbē introijſſet. quam alioqui priusquam ipſi triumphus decerneretur, ingredi non dabatur. nam mos erat (inquit Plutarch. in Cæſare) ut qui triumphum ducturi eſſent, extra urbem moram protraherent; & in Pomp. Exercitum

ducibus urbem ingredi haud mos fuit. huc referendum eſſe crediderim illud Saluſtij in Catil. Hi utrique ad urbem imperatores erant, impediti ne triumpharent. ut ad urbem pro apud urbem dictum accipiamus. etiam ſi aliter ſentiat Pedianus in IIII. *Act. in Verrem. & Iacobus Crucius in Annot.*

ANGELVS POLITIANVS NO-*tatur, Martialiſq́; locus aliter atq́; ille & Domitius ſenſerit, explicatur. cap.* 8.

SCio fore, qui dentes in me malignitatis acuētes, ſcriptiſq́; meis, ne uel transuerſum unguem à more ſuo diſcedant, inuidentes, Realinum dicent nonniſi umbraticam pugnare pugnam, atq́; cum laruis luctando ſibi famam quærere. intelligant tamen iſti uelim, me nullo nec odio, nec inani ambitione moueri, ſi quibuſdam uel primæ claſſis non adhæreo literatis. nec eo eſſe animo, eiſq́; moribus, ut quorum manes ueneror, ijs canino rictu oblatrare cupiam. Verum in communis utilitatis gratiam quæcunq; ſcribimus ſunt accipienda; & amicus Socrates, amicus Plato, magis autem amica ueritas. omniſq́; contradicens, autore Auicenna lib. IIII. *Fen.* I. *tract.* II. *cap.* VII. *cum eſt ſup ueritatem, eſt excuſatus. ſed ad inſtitutum noſtrum.*

Angelus Politianus uir orbi notior, quam nunc ſit re cenſendum, in Miſcel. cap. VI. paſſer, inquit, ille Catullianus allegoricus, ut opinor, obſcæniorem celat intellectum, quem ſalua uerecundia nequimus enuntiare. quod ut credam Martialis epigrammate illo perſuadet, cuius hi ſunt extremi uerſiculi.

Da mi baſia mille, ſed Catulliana,
Quæ ſi tot fuerint, quot ille dixit,
Donabo tibi paſſerem Catulli.

qua in re ego Politiano non aſſentior, cum potuerit Lesbia (ut hodie etiam optimatum morem eſſe uidemus fæminarum) in delitijs habuiſſe paſſerem. cuius opinionis fuiſſe Martialem, ipſius teſtatur de catella Publij epigramma lib. I. in quo eſt hic uerſus.

Iſſa eſt paſſere nequior Catulli, & alterum de columba Stellæ poetæ.

Stellæ delitium mei columba,
Verona licet audiente dicam,
Vicit maxime paſſerem Catulli. ſuffragatur etiam Iuuenalis (ut iterim ipſius Catulli uerba quæ clare Politianum refellunt, omittam) ſic Saty. VI. ſcribens.

Nec tibi cuius
Turbauit nitidos extinctus paſſer ocellos.

ſcimus quoque ab Ouidio in II. Amorũ celebrari mortuum Corynnæ ſuæ psytacum, cuius exemplo & nos

olim Chryſiæ noſtræ defleuimus Philomelam. apud Propert. etiam lib. IIII. *dicit Lycotas.*

Graucidos, & catulæ uox eſt mihi grata querentis
Illa tui partem uendicat una thori. *& notus eſt Perſa Tertiæ L. Pauli filiæ* catellus, de quo Cicero *in* I. de Diuinat. & Val. *cap.* V. *lib.* I. *Præterea ego* cum *ſuperioribus annis Mutinæ hyemarem, uidi apud Ioannem Grilinſonum non minus antiquitatis, quam literarum ſtudioſiſſimum, marmoream Lesbiæ imaginem manu paſſerem iuxta ſinum tenentis. ita ut Politiano penitus ſit refragandum. cuius teſtimonium, id eſt Martial.* carmen, *quod eſt circa principium lib.* XI. *cũ argumentorum diſſolutio ſit ueritatis inuentio; alium ſenſum habere credimus, quàm & ipſe, & Domitius etiam fuerint opinati. placetq; ut dicat poeta. ſi baſia mihi dederis Dyndime quot Catullus dixit endecaſyl.* V. *donabo tibi paſſerem, qualem eum fuiſſe ſcripſit idem Catullus, quem Lesbia amabat.*

Nàm mellitus erat, ſuamq; norat
Ipſe tam bene quam puella matrem.

& reliqua, quæ ſunt in II. *&* III. *endecaſyllabo.*

RESTITVTA OVIDIO SENTENTIA, *ſimulq; de fæminis Indicis notatu digna. cap. 9.*

OVidius in III. *Amorum*, *in elegia quâ deflet Tibulli mortem*, *Deliam ſcribit & Nemeſim ipſius poetæ amicas*, *ante rogum de amore in Tibullum decertaſſe. qui ſenſus*, *(ut mos eſt poetarum) nihil ibi conſiderante Dominico*, *ad fœminarum Indicarum morem effictus eſt*, *quas ſcribit Cicero in V. Tuſcul. cum eſt cuiusq; uir mortuus*, *in certamen*, *iudiciumq; uenire*, *quam nam plurimum ille dilexerit. plures enim ſingulis ſolent eſſe nuptæ; quæ autem uictrix,ea læta proſequentibus ſuis una cum uiro in rogum imponitur illa uicta mæſta diſcedit. meminit & Pomp. Mela lib. II. cap. I. his uerbis. Nec fœminis quidem Indicis ſegnis eſt animus ſuper mortuorum uirorum corpora interfici*, *ſimulq; ſepeliri uotum eximium habēt: & quia plures ſingulis nuptæ ſunt*, *cuius id ſit decus apud iudicaturos magno certamine affectant; moribus datur*, *eſtque maxime lætum*, *cum in hoc contenditur uincere. earumdem facit mentionem Val. Max. de Inſt. antiquis. Solinus in Polyhiſt. Hieronymus cōtra Iouinianum lib. I. cap. XXVII. Strabo. in XV. & luculentiſſimis uerſibus complexus eſt Propertius in III. eleg.*

Quæritis unde auidis. Plutarch. in lib. ubi quærit Nunquid improbitas ſufficiat ad infelicitatem. & alij. Quod autem ibi dicit Nemeſis. Quid ſunt tibi

mea damna dolori? illam habet ſententiam. quid do les, & angeris Delia morte Tibulli? non enim te ama uit, ſed me, cuius ſignum addit. Me tenuit moriens deficiente manu. atque ita damna ſua uocat mortem Tibulli.

DECLARATI DVO PROPER- *tij uerſus, & alter emendatus, reſti- tutaq́; lux Ouidio.* *cap.* 10.

NON *immerito præcipit Horatius in Arte poe tica, ut græca exemplaria nocturna uerſemus diurnaq́; manu. ſi quidem latini ſcriptores ad eorum normam ſe formantes, tanquam ex amplo mari in ope ra ſua riuulos deducere ſæpius conſueuerunt. quale ge nus, cum nuper attẽtiore cura Propertium legeremus, animaduerti. is enim lib.* IIII. *in elegia, Sunt aliquid manes. Cynthiæ umbram inducit de ipſo conqueren- tem dicere.*

Cur uentos non ipſe rogis ingrate petiſti? quem ſen- ſum, (id quod non animaduertit Beroaldus) ex Ho mericæ Iliad. Rhapſodia XXIII. *effinxit poeta. nam ibi ſic legitur.*

Οὐδὲ πυρὶ πατρόκλου καίετο τεθνειῶτος
Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος ἀχιλλεὺς
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι

Βορέῃ καὶ ζεφύρῳ καὶ ὑπίσχετο ἱερὰ καλά,
Πολλὰ δὲ καὶ σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν,
Ἐλθέμεν ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγέθοιατο νεκρόν.

Neq; igne Patroclus comburebatur mortuus,
Cumq; id cognoſceret uelox dius Achilles,
Stans procul à pyra duos precabatur uentos,
Boreã et Zephyrũ,et ſuppoſuit uictimas egregias,
Multaq; ſacrificans aureo poculo ſupplicauit
Venire,ut celeriter igne arderet cadauer.

ſic itaq; ait Cynthia, cur uentis non ſupplicaſti, ut in rogo ignem excitarent,citoq; flammis conſumerer? ad rem facit & illud. Q.Calab. lib. V. circa finem.

Ἔνθ' ἔβαλον κρατεροῖο πυρὸς μένος. ἦλθε δὲ πνοιὴ
Ἐξ ἁλός, ἣν προέηκε θεὰ Θέτις, ὄφρα θέροιτο
Αἴαντος μεγάλοιο βίη.

Tunc impoſuerunt fortis ignis uim.uenit autẽ flatus
Ex mari, quem præmiſit dea Thetis,ut cõbureretur
Aeacis magni uirtus. Nec eiuſdem illud ibidem.

Si piguit ultra portas procedere. caret eruditione. nam mos antiquus ſignificatur, quo mortuos ſolebant extra urbem ſepulchris mandare,lege Solonis prohibente ne intra urbem ſepeliretur, ut eſt apud Tullium in II. de Leg & meminit Petrarcha lib.II. epiſt.II. unde Seruius in IIII. epiſt. quas familiares uocant, ad Ciceronem de Marcello ſic ſcribit. Ab Athenienſibus locum ſepulturæ intra urbem, ut darẽt, impetrare non potui, quod religione ſe impediri dicerent,

neq;

neque tamen id cuiquam antea conceſſerant. Cicero *in* V. *Tuſcul. Eſt, inquit, ad portas Agragianas magna frequentia ſepulchrorum.huc etiam tendit illud Naſonis in* VIII. *Meth.*

Neq; enim capiebant funera portæ. *quem ſenſum clariorem reddit Seneca in Oedipo. ſic loquẽte choro Turbæ tumulos petenti Non ſatis ſeptem patuere portæ. inde portas ſacras non teneri, quod per illas cadauera portabant, autor eſt Plutarch. in Prob.* XXVI. *An uero locus eſſet ad id officium extra urbem communis, non facile dixerim. illud ſcio apud Ciceronem pro Roſcio Amerino ita legi. Cui de tanto patrimonio prædo iſte nefarius ne iter quidem ad ſepulchrum patrium reliquiſſet. ex quo apparet mortuos in proprijs fundis ſepeliri conſueſſe. An etiam uerum ſit, quod ſcribit Eutropius lib.* VIII. *Traianum ſcilicet ſolum omnium imperatorum in urbe ſepultum fuiſſe,relinquo ſtudioſis dijudicandum. Illud præterea notabitur eo in carmine Propertiano.*

Atram quis lacbrimis incaluiſſe togam.

ĩmaduiſſe reponendum, tũ ex Bendinelij caſtigationibus, tum meliore ſenſu.

ELVCIDATVS OVIDII LOCVS. cap. II.

Q

SCribit in II. Papinianæ Theb. commentario Lactantius, uel Luctatius, quo nomine eum appellat quandoq; Pius, & in Quæſtura Corradus, cum Lilio, ſcribit (inquam) apud antiquos iura nuptiarum ante aras numinum celebrari conſueſſe. ex quo Stat. ibi.

Viderat hoc coniux perituri uatis, & aras
Ante omnes, epulasq; trucem ſecreta coquebat
Inuidiam. nec alio reſpexit Ouid. cũ lib. Meth. V. refert ĩ nuptijs Perſei, & Andromedes fuiſſe altaria ueterem innuens conſuetudinẽ. eius hæc ſunt carmina.

Pectora rupiſſet, niſi poſt altaria Phœbus
Iſſet: & (indignum) ſcelerato profuit ara. & in XII. in pugna Centaurorum, qui inſana libidine ducti in ipſis nuptijs Pirithoi ſpõsã rapere tẽtauerãt, ait.

Proximus ut ſteterat ſpectans altaria uultu
Tumida terribili, cur non ait utimur iſtis,
Cumq; ſuis Gryneus immanem ſuſtulit aram
Ignibus, & medium Lapitharum iecit in agmen.

non deſunt aliæ autoritates, ſed quoniã ijs admonitus illas ſibi parare ſtudioſus lector facile poterit, omitto. duntaxat adijciens hanc rem poſſe etiam comprobari ex Polit. Plutarch. ĩ fine ubi de Orgilao loquitur.

EMENDATA VOX APVD *Propertium & Ouidium. cap. 12.*

APud Propertium lib. I. elegia I. ſic paſſim legitur,
Mimalion nullos fugiendo Tulle labores,
Sæuitiam duræ contudit Iaſidos. cum tamen Mimalion mendoſa uox ſit. proinde nos emendamus Milanion. adducti Muſæi poetæ græci autoritate, ubi Herus, & Leandri amores deſcribit, ita de eadē fabula, cuius & hoc in loco meminit Propert. canētis.

παρθενος οὔ σε λεληθεν ἀπ᾽ αρκαδιης Αταλαντη
Ἠ τοτε μειλανίωνος ερασσαμενου φύγεν ευνην
παρθενιης αλεγουσα, χολωσαμενης δ᾽ ἀφροδιτης
τον πάρος οὐκ εποθησεν ενι κραδιῃ θέτο πασῃ.

Virgo non te latuit ab Arcadia Atalanta
Quæ olim Milanionis amantis effugit cubile
Virginitatem curans: irata autem Venere
Quem prius non deſiderauit, in corde poſuit toto.
Sic apud Xenophontem in lib. de Venatione circa prĩcipiũ, legitur Milanionē tãtum ſtudio laboris excelluiſſe, ut ex riualibus ſuis, qui ad maxima connubia digniores erant, Atalantæ nuptias ſolum conſecutum. ad hunc modum caſtigabis Ouid. illud in II. de Arte.
Fleſſe ſub arboribus Mimaliona ferunt. & III.
Mimalion humeris Atalantæ crura ferebat.

VNDE SIT QVOD HECATI canes aſſignentur, declaratusq́ꝫ Virgilius. cap. 13.

HEcatem infernam eſſe deam, incantationibusq́ præſidere, nemo eſt q̃ neſciat. huic canes ĩmolari ſcripſit ĩ Mimis Sophron, nec tacuerunt alij. cuius rei illam affert rationem Theocriti Scholiaſtes. illud in Pharmaceutria exponentis τὰν δὲ σκύλακες τρομέοντι. quod. s. per canes ei cœna paretur. eius uerba accipe. διὰ τὸ σκύλακες ἐκφέρεσθαι δεῖπνα τῇ ἑκάτῃ. Ἀριστοφάνης ἐν δαιταλεῦσι. τὶ δὲ κυνίδιον λεπρὸν λευκὸν ἐπρίω τῇ θεᾷ ἐς τὰς τριόδους. Lucianus quoq; in Dialogo Char. et Menip. θέρμους inquit εἰ θέλεις καὶ τῆς ἑκάτης τὸ δεῖπνον. Με. πόθεν τοῦτ᾽ ἡμῖν ὦ ἑρμῆ τὸν κύνα ἤγαγες. i. Lupinos ſi uelis, et Hecates cœnã. Mer. unde hũc nobis, Mercuri canẽ adduxiſti? meminit ẽt in Tyranno. & Plutarch. in Probl. Quid eſt quod flamines Diales cane, & capella abſtinebãt. hinc Lycophron in Alexandra Hecatem uocat

κυνοσφαγον illo uerſu.

ζήρινθον ἄντρον κυνοσφαγοῦς θεᾶς λιπών. i.

Zerinthum antrum caniuoræ deæ linquens.

ubi interpres iccirco canes Hecati ſcribit imolari, quod ipſorum latratus incantationes ſoluit, & monſtroſas uiſiones unde Sophron in Mimis ὁ γὰρ κυων βαυβύζας λύει τὰ φάσματα. at Plutarch. prob. LXVII. purgationis cauſa. nec alio reſpexiſſe Maronem aſſeruerim, cum lib. VI. ſic ait. Viſæq; canes ululare per umbram Aduentante dea. quicquid dicat Seruius.

ſicuti etiam in Pharmaceutria, quam ad Græcam Theocriti effinxit, in eo hemiſtichio.

Et hylax in limine latrat. ubi præterea notandum eſt, Hylax dictionem eſſe Græcam (σκυλαξ *ipſi dicunt*) *qua canis ſignificatur. nec mirum uideatur, ſi abſq; σ ſcribatur; quando hæc litera eſt ſui iuris, & ſuæ poteſtatis. & à quibusdam* ἄσημον *id eſt ſine nota, & ſigno dicitur, quod aliarum conſonantium notas inuſtas non habeat, nempe ut uel muta dicatur, uel duplex, uel liquida. autor Guillonius in Clenardũ.*

ELVCIDATVS PORPHYRII *locus cap. 14.*

PORPHYRIVS *ille philoſophus qui introductionem in Ariſtotelis prædicamenta ſcripſit ad Chryſaorium, cap. de ſpecie. ſpecies, inquit, dicitur de uniuſcuiusq; forma ſecundum quod dictum eſt* πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιον τυραννίδος. *i. primum ſpecies digna eſt imperio. Hic quoniam eſſe uideo qui Priami legant, & ita Pius in illud Lucretij ex lib. I.*

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt uerna diei.

πρίαμον *reponit ex antiquo codice, nõ alienum duxi ſuper hac re quid & ego ſentio, alios impertiri; exiſtimans ſimul et politioribus Dialecticæ ſtudioſis rẽ gratã facturũ, nec humanarũ literarũ ꝓfeſſores noſtram,*

quantulacunq; eſt, aſpernaturos lucubratiunculam, accedente etiam Titi Ioannis Scandianenſis autoritate, cui, cum ego, orto nuper inter nos ſuper ſublimis Lucretii poeſim, in quam doctisſimos ipſe ſcripſit commentarios; familiari ſermone, rem totam communicaſſem; laudauit, dubitantemq; nunquid hiſce admiſcerem, conſilio ſuo adiuuit. Nobis itaq; placet antiqua lectio, quam in omnibus græcis codicibus eſt inuenire. eo maxime ductis argumento, quòd ſpeciem id eſt oris pulchritudinem, dignam legimus imperio laudari. ita enim Plutarch. de Scipione Maiore. Præter ingentia, inquit, animi bona, præ ſe etiam ferebat eximiam formam, & omni amplo dignam imperio. quod repetit in Demetrio, & Homero. ita etiam Polybius lib. IIII. de Philippo Macedonum rege. Nec facile fuiſſet regem reperire pluribus naturæ dotibus ornatum: ſolertia quidem, & memoria, & gratia erat in hoc homine inſignis, præterea aſpectus imperio dignus. apud Xenophontem in principio Symp. dicit Callias, formam eſſe quiddam natura regale. quod repetit Socrates inferius. & rurſus, Calliam dicens Reip. fore ſi uellet facile præſidem, præter alia, inde ducit argumentum, quòd corpus haberet omniũ ciuium ſpectatu pulchrum maxime. quomodo Honorium etiam laudat Claud. in nuptiis, non disſimile modo apud Plautum in Milite.

Pyrgopolinicem ait Paraſitus forma eſſe regia. ſic quoq; Priamus apud Hom. in III. *Iliad. cũ Agamemnonem à forma laudaßet, & pulchritudine, addit* βασιλῆι γὰρ ἀνδρί ἔοικεν. *i. regi. n. uiro conuenit. nec ab re eſt, quod legimus apud Curtium lib*. V I. *& Rhod. lib.* X XIIII. *cap.* VIIII. *Barbaris ſcilicet in corporum maieſtate uenerationem eſſe, maiorumq; operũ non alios capaces putare, quam quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. quin & formoſiori occurriſſe cupiam omen cenſebatur præſtantisſimum, at difformi, inauſpicatisſimũ. unde Imperator Adrianus ex Mauri occurſu ingruere ſibi extrema cõcepit. & certe* πᾶσαν τὴν ἀμορφίαν πονηρίας εἶναι κατάκριτον, *ſicut* ὡς ἀγαθὸν, ἐπαινεῖσθαι τὸ καλὸν *autor eſt Lucianus in Amoribus. & Philopæmenem legitur apud Plutarch. in principio eius uitæ, cum ipſum mulier Megarenſis; ad quam cænaturus diuerterat, ut ſibi opitularetur precata eßet, ex miniſtris regis unum eſſe rata; libenter paruiße, dumq; intentus eſſet offitio, ſcĩdẽdi ligna ſcilicet, ingreſſus hoſpes. Quidnam hoc eſt inquit, ò Philopæmen, cui ille reſpondit. Quidnam aliud quam indecoræ faciei pænam do. ex ijs, & huiuſmodi alijs, quæ breuitatis cauſa, contentus omitto, ueterem tutor lectionem, aßeroq; legendum eſſe primum, non prima, nec Priami. quem etiam ſi Dares Phrygius in lib. de*

excidio Troiæ, ore pulchro fuiſſe ſcribat, nihil tamen probibet, quominus uulgatã lectionem ſequamur cum græcis expoſitoribus, & undecunq; doctisſimo Lilio in præfat. Synt. VI.

DECLARATVS TIBVLLI LOcus aliter atq; declarauerit Robortellius.

cap. 15.

V*Erum illud eſſe in dies magis comperio* χαλεπὸν *ſcilicet* εἶναι ἄνθρωπον ὄντα ἐν πολλοῖς μὴ διαμαρθάνειν. *quando omnes, ut eſt in tabula* Cebetis, *deceptionis guſtamus latices, & mens in uarias quandoq; curas diſtracta, ſemper offitio ſuo intenta eſſe non permittitur, ita ut recte* Galenus *præceperit in* IIII. *de placit. Hip. & Plat. homini nato, & peccanti dandam eſſe ueniam, quaſi illud ſit hominis peculiare. Hæc eo tendunt, nequis miretur, ſi Robortelli uiri doctisſimi diligentiam deſiderari in Tibulliano carmine ad communem utilitatem auſus fuerim oſtendere, quoniam, & ipſe eſt homo, & multis implicitus negotijs, nec ab eo humani quicquam alienum eſſe credendum eſt. In ſuarum igitur Annotationum lib.* I. *cap.* V. *illos Tibulli uerſus qui ſunt elegia nona lib.* I.

Nec tibi cælanti fas ſit peccare, paranti
Sit Deus occultos qui uetet eſſe dolos.

ita diſtin-

ita diſtinguit.

Nec tibi celanti fas ſit peccare paranti,

Eſt deus occultos qui uetet eſſe dolos. ut ſit ſimilis ſermo Ciceroniano *illi.* *Mihi negligenti eſſe non licet & Lucretiano.*

Quidue mali fuerat nobis non eſſe creatis. eo ordine, & ſenſu. Nec tibi paranti peccare ſit fas cælanti *ſcilicet eſſe, quaſi non liceat tibi cælare, quòd peccare paras, quoniam id uetat* Deus. *hæc ille.*

Mihi tamen placet antiqua lectio, & diſtinctio, tum quia eam omnes habent codices, *tum ſenſu meliori adiuuante. dicit enim poeta. te ſæpius puer admonui, ne fas tibi duceres peccare, etiam ſi peccatum tuum cælari poſſe crederes. quòd ſi parares aliquãdo peccare, tibi ſcires* Deum *ſupereſſe* occultos *qui uetat eſſe dolos. optans uidelicet ne ſibi in animum puer induceret ipſum alteri adhærẽs fallere. nõ diſſimile eſt illud eiuſdẽ lib. eleg.* VI. *Sit modo* caſta *doce, quis nec uita ligatos*

Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Quòd *ſi* Robortellum *ſequamur, inſolito ſenſu, nec uenuſto dicet* Tibul. *Ne tibi liceat peccare, & cælare. quaſi dicat. ſi quandoq; peccaueris, ne me peccatum cæles. quod quam ſit abſurdum, uel illud ſolum poteſt eſſe argumento, quod ſoleant amantes, ſi amaſias peccantes intellexerint, grauiter, & iniquo animo ferre.*

R

nec ita rurſus dolere, ſi eædem peccent inſciis ipſis. unde in fine lib. IIII. Tib. ſic ſcribit.

Rumor ait crebro noſtram peccare puellam:
Nunc ego me ſurdis auribus eſſe uelim.
Crimina non hæc ſunt noſtro ſine facta dolore.
Quid miſerum torques rumor acerbe. tace. Nec uideo uerum eſſe. quod pro cõprobatione opinionis ſuæ affert Robortel. Tibullum ſolere uti formulis loquendi admodum nouis. quin & terſum, & elegantem eum uocat Fabius lib. X. cap. I. & cultũ non ſemel Ouid.

MOS QVO ANTIQVITVS conſecrarentur imperatores, demonſtratus. cap. 16.

FVISSE ex Philoſophis nonnullos, qui Tẽpus ſapientiſſimum appellauerunt, autor eſt in IIII. Phyſici auditus, textu. 128. Ariſtoteles, ob eam ſcilicet cauſam, quod ipſius beneficio multarũ rerum adipiſcimur cognitionem, & iuxta adagium, tẽpus omnia reuelare creditur. id quod præter quàm alias, ijs ego diebus uerisſimum eſſe pro comperto habui. Nam cum antea diu mecum ipſe, quonammodo conſecrare imperatores antiqui conſueſſent (nam legebamus inter diuos relatos Iulium Cæſarem, Auguſtum, Traianum, T. Veſpaſianum, Antonium Pium, Antoninum Ve

rum, L. Annium Antoninum, & omnes deniq; imperatores, ſi Seruium ſequi placet in illud ex I. *Georg. Teq; adeo quem mox etc.*)

cogitarem, nec qui declararet, inuenirem, Herodiani tandem lectio, rē totam ſuggesſit. unde morem in deos referendi edoctus, nolui candidum lectorem, ut longæ inquiſitionis labor abeſſet, eo defraudare. Herodiani igitur uerba, quibus illud explicat, hæc ſunt, uertente Politiano, in principio lib. IIII. *quæ etiā apud Blondum reperies lib.* II. *Romæ triumphantis. Mos eſt Romanis conſecrare imperatores, qui ſuperſtitibus filijs, uel ſucceſſoribus moriuntur: quiq; eo ſunt honore affecti, relati dicuntur inter diuos. Eſt autem tota urbe quaſi luctus quidam feſtæ celebritati permiſcuus quippe functum uita corpus, ritu hominum, ſumptuoſo funere ſepeliunt, ſed certam imaginem defuncto quàm ſimillimam fingunt, eamq; in regiæ ueſtibulo proponunt ſupra eburneum lectum maximum, atq; ſublimem ueſtibus inſtratum aureis. & quidem imago illa ad ægroti ſpeciem pallida recumbit. circa lectum uerò utrinq; magnam partem diei ſedent, à læua quidem Senatus omnis ueſtibus atris amictus, à dextra uero matronæ, quas uirorum, aut parentum dignitas honeſtat; harumq; nulla uel aurum geſtans, uel ornata monilibus conſpicitur, ſed ueſtibus albis exilibus in-*

dutæ mærentium ſpeciem præbent. Hæc *ita per ſep-
tem dies continuos faciunt, medicis ad lectum quotidie
accedentibus, inſpectumq́ue uelut ægrum deterius ſe ha
bere ſubinde pronunciantibus.* Dein *ubi iam uiſus obiiſ
ſe diem, lectum humeris attollunt Equeſtris, ſenato-
riiq́ue ordinis nobilisſimi, ac lectisſimi iuuenes, perq́ue
uiam ſacram in uetus forum deferunt, ubi magiſtratus
Romani deponere imperium conſueuerant. utrinq́ue au
tem gradus quidam ſunt ad ſcalarum ſimilitudinem ex-
tructi, in quibus altera ex parte puerorum* chorus *eſt
è nobilisſimis, atq́ue patritiis, altera, fæminarum illu-
ſtrium hymnos in defunctum, pæanasq́ue canẽtium ue-
rendo, ac lamentabili* carmine *emodulatos.* Quibus
peractis tollunt iterum lectum, atq́ue extra *urbem pro-
ferunt in Martium campum, ubi qua latisſime cam-
pus patet, ſuggeſtus quidam ſpecie quadrangula, late-
ribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingen
tium materia compactus, in tabernaculi formam. id qui
dem ĩterius totum eſt aridis fomitibus oppletum, extra
autem intextis auro ſtragulis, atq́ue eboreis ſignis, ua-
riisq́ue picturis exornatum. infra uero alterum minuſcu-
lum poſitum eſt, ſed forma, & ornatu perſimile, portis
ianuisq́ue patentibus, tertiumq́ue item & quartum ſemper
ſuperiore contractius, ac deinceps alia, donec ad ex-
tremum, quod eſt omnium breuisſimum perueniatur.*

poſsis eius ædificij formam comparare turribus ijs, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato, naues in tutas ſtationes dirigunt, pharos uulgo appellant. igitur lecto in ſecundum tabernaculum ſublato, aromata, & ſuffimenta omnis generis, fructus, herbasq́, ſuccosq́ omnes odoratos conquirunt, atq́ aceruatim effundunt. quippe neq́ gens eſt, neq́ ciuitas, neq́ qui honore ullo, aut dignitate præcellat, quin certatim per ſe quisq́ ſuprema illa munera principis honori deferũt ubi uero ingens aromatum aceruus aggeſtus eſt, ac locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant; uniuerſis equeſtris ordinis certa quadam lege, ac recurſu, motuq́ Pyrrhichio, numeroq́ in orbem decurrentibus. Currus item circum aguntur, inſeſsi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant Ducũ omnium Romanorum, Principumq́ illuſtrium, quæ ubi celebrata ſunt, facem capit imperij ſucceſsor, eamq́ tabernaculo admouet, tum cæteri omnes undiq́ ignem ſubijciunt, cunctaq́ illico fomitibus illis aridis, odoramentisq́ referta igni ualido corripiuntur. mox ab extremo, minimoq́ tabernaculo, tanquam è faſtigio quodam ſimul cum ſubiecto igni Aquila dimittitur, quæ in cælum creditur ipſam prĩcipis animam deferre. Ac iam ex illo una cum cæteris numinibus imperator colitur.

Hos habui CARDINALIS AMPLISS. *quos tibi dicarē primos hortuli mei fructus, illos quidē inſipidos, ſed ſi piam dicātis ſpectes uoluntatem, non aſpernandos. unde æqui, boniq́ꝫ facias precor, & amplectaris, meliores, fauente Deo, accepturus. Vale.*

ERRORES SIC CORRIGITO.

Pag. 5. uer. 19. υπερβαλλον. ibidem. b. uer. 5. Tethyn. *pag. 24. b. uer. 24. quòd aut. pag. 25. b. uerſ. 2. ipſis. pag. 27. uer. 6. fila. pag. 28. 17. deſiſteret. pag. 38. b. 17.* Natis. *pag. 39. b. uer. 3.* γαλαξία. *ibidem uer. 21. purpuram. pag. 41. uer. 8.* VII. *pag. 42. b. uer. 1. celeres. pag. 49. uer. 17.* Erit *ibidem b. uer. 19. ominis. pag. 44. uer. 22. currus. pag. 45. b. uer. 15. cuncta pag. 48. b. 13. per. pag. 51. uer. 22.* Catil. *pag. 55. b. uer. 19. Inſt. antiquis Solinus in.*